

39  
De Controuersijs

I N T E R

O R D I N E M

ECCLESIASTICVM

ET SECVLAREM.

In Polonia ;

*Ex Iure Diuino, Regniq; Statutis, Priuilegijs,  
ac praescriptione :*

T R A C T A T I O.

In qua refellitur Libellus quidam famosus & mordax,  
contra Querimoniam & Postulata Cleri, in Comi-  
tjjs Regni Anno 1585. Regi, Regniq; Ordi-  
nibus publicè oblata, conscriptus.

*Nunc demum recognita & aucta, & à plurimis  
mendis purgata. Prima Editio est de 1587.*

*et ad calcem ejusdem hae Literae ini-  
tales reperimus A. H. L. E. L. A. F.*

*quarum tribus posterioribus nomen Lau-  
rentij Anthoni Faunteji, Desuni po-  
Estes, qui ex teste Plackii  
in theat. Anonym. n. 843. Sched: asma*

C R A C O V I

*In Officina Andrea Petricouij, S. R. M. Typographi de hac ma-  
Anno Domini, M. DC. XXXII. 1532 tertia scripta.*

*Ecclesiastici 7.*

In tota anima tua time Dominū, & Sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute dilige eum qui te fecit, & ministros eius non derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes, & propugnato cum brachijs. Da illis partem, sicut mandatū est tibi, primitiarū & purgationis.

*1. Thessalon : 5.*

Rogamus autem vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præfunt vobis in Domino, & monent vos, vt habeatis illos abundantius in charitate, propter opus illorum, & pacem habete cum eis.

E XVI 179

ARCHIEPISCOPIS,  
EPISCOPIS,  
PRÆLATIS, CANONICIS.

Vniuersoque Regni Poloniae Clero,  
Auctor S.

**M**irari satis non possum, Viri Illustrissimi,  
& Ornatissimi, cum Ordinis vestri ho-  
mines primi in Poloniam clarissimum Fi-  
dei lumen intulerint, in eademq; augenda,  
& amplificanda, sexcentos iam totos annos desudârint:  
inueniri tamen aliquos, qui vobis tantum abest, vt pro  
summo beneficio, meritam gratiam, debitamq; referant,  
vt etiam illud enitantur & moliantur vnum, ne sum-  
mum dignitatis, & honoris gradum, quẽ magnã omni-  
um voluntate, & consensione, iam inde à Christiana  
Religionis in Polonia principio, estis assecuti, retinea-  
tis. Est & illud, quod maiorem mihi mouet admir-  
ationem, quòd alij tam incredibili in vos suffusi maleuo-  
lentiã sint, vt dicere non vereantur iustitiam indici o-  
portere, iurisdictionem intermitteri, iudicia tolli, vobis  
deniq; omnem auctoritatem, & potestatem, lege Diui-  
na & humana tributam, eripiendam esse. Illud autem

penitus obstupesco, alios non deesse, qui Decimas ipsas, & ad vitam sustentandam, & ad rerum Diuinarum procuracionem, & administrationem necessarias, vobis non inuideant modo, verum etiam per summum dedecus Ministris hereticis, ad quos nullo iure pertinent, decretas velint. Quo nihil iniquius, aut indignius excogitari potest. Atque hac quidem mihi miranda, atque obstupescenda videntur: alijs autem fortasse, qui minus in istorum hominum familiaritate, atque libris versati sunt, incredibilia prorsus, ac portenti similia videbuntur: qui tamen, fidenter dico, si vel unum libellum famosum, contra Querimoniam, & postulata Cleri in Comitibus Regni, Anno 1585. Regi, totique Senatui oblata, scriptum, & diuulgatum legerint, & ijs qua commemoravi, habebunt fidem, & tantam improbitatem, ac ingrati animi crimen, admiratione obstupescerent, perhorrescent. Ego sane ut semel eum peruolutavi, usque adeo cohorrui, ut non calamo aduersus eundem agendum, sed incendio decernerem. Ne tamen scriptum tam venenatum, & pestiferum, ac falsis redundans criminationibus, in Ecclesiasticum Ordinem, alioqui innocentissimum, odium concitaret, aut minus rerum peritis scrupulum, ac dubitationem aliquam de eiusdem iurisdictione, Decimarum percipiendarum facultate,

Vetustissimisq̄ Privilegijs inieceret, operapretium me fa-  
cturum sum arbitratus, si illud refutare potius, quam  
asperuarem. In quam sanè sententiam eò facilius de-  
scendi, quòd viri quidam primarij, ijq̄ sapientissimi,  
& optimi, scriptoris, & suasores, & impulsores fue-  
rint: quorum ego consilijs, atq̄ studijs uti refragarer,  
nunquam animum inducere potui. Vt autem opus  
ipsum perfectius, & absolutius esset, ac non totum in ho-  
minis improbissimi calumnijs, & conuitijs refellendis  
consumeretur, non Cleri tantum querimoniam, & po-  
stulata defendenda; verumetiam iurisdictionem uni-  
uersam, & Decimarum aequitatem, ex Sacrarum lite-  
rarum monumentis, & Regni Poloniae sanctissimis Le-  
gibus, asserendam putavi. Quòd an fuerim assecutus,  
aliorum sit iudicium, assequi sanè volui: cum ut de  
nobilissimo Ordine vestro, ad Dei Opt: Max: gloriam,  
& honorem, bene mererer, eumq̄ calamitate penè fra-  
ctum, & afflictum excitarem, tum ut improborum quo-  
rundam nefarios ac furentes conatus retardarè. Qua-  
lecunq̄ autem sit quòd prestitimus, id vobis totum, Am-  
plissimi Viri, do, dono, atq̄ consecro: illudq̄ Deum Opt:  
Max: supplicibus oro verbis, ut & Ordini vestro sit  
emolumento, & aduersarios edoceat, Decimas vobis  
per summam iniuriam eripi, & iurisdictionem, quam

obtinētis, legitimam, Reiq; publicæ necessariam esse.  
Valet.

AUCTOR LECTORI, S.

Quoniam libelli famosi, qui à nobis confuta-  
tur, auctor, nomen suum suppressit: ne mirere Le-  
ctor, si, vbi is nominandus erat, Calumniatoris  
vocabulum repereris. Meritò enim ita hominem  
appellamus, quoniam calumnijs, & conuitijs, per-  
petuò ferè vtitur. Atque vt facilius porrò intelli-  
gas ea quæ hîc à nobis disputantur: ipsa *Postula-  
ta Ordinis Ecclesiastici*, quæ iste calumniatur,  
nostræ tractationi præmittenda esse  
duximus. Vale.





P O S T V L A T A  
O R D I N I S E C C L E S I A S T I C I ,  
S E V C A P I T A ,

*Per Deputatos Status Ecclesiastici, de Iniurijs, quibus idem  
contra ius Diuinum, & contra iura, Privilegiaq; sua gra-  
uatus est, Warschauia, in Comitijs Regni Generalibus,  
Anno Domini, M. D. LXXX. V. Die 22. Febr.*

*DD. Deputatis auctoritate R. M. ex Sena-  
torio & Equestri Ordine, publi-  
ce proposita.*

- I. Religionis S. Catholicæ violatio, Hæresumque va-  
riarum in Regnum inuectio.*
- II. Iurisdictionis Ecclesiasticæ, eiusq; spiritualis gladij Ex-  
communicationis, eneruatio.*
- III. Decimarum à quibusdam retentio, & ademptio.*
- IV. Prærogatiuarum & Libertatum diminutio.*
- V. Ecclesiarum prophanatio, Foundationum, Censuum,  
Prouentuum, Thefaurorum Ecclesiasticorum, &  
bonorum aliorum ademptio, & spoliatio.*
- VI. Fori pro iniurijs realibus & personalibus, tam pri-  
mæ & secundæ instantiæ, quàm executionis suspensio:  
Brachij secularis, Remissarum ex Tribunali Regni,  
& alijs subfellijs causarum, nulla executio.*



*BREVIS EXPLICATIO SUPERIORUM  
Capitulum, verbotenus, coram D.D. Deputatis,  
per Spirituales facta, die, & loco, ut supra,  
postmodumq; scripto, tradita.*

*Ad primum.*

*I. Vtrum expediat Reipublica, & fas decorumq; sit:*

Apostasias fieri.

Schismata & peregrinas Religiones innumeras inuehi.

Deum blasphemari.

Christum publicè negari.

Hæresibus modum nullum & finem imponi.

Atheismum, Paganismum, Saracenisum introduci.

Iniurias in Deum impunè fieri.

Magistratum, qui Dei Maximi, & Religionis Christianæ  
causam agat, & tueatur, sicut est in Polonia status Spi-  
ritualis, nullum fieri.

*Ad secundum.*

*II. Vtrum expediat Reipublica & fas decorumq; sit:*

Sacrilegia impunè tolerari.

Periuria, incantationes, Veneficia, Magias, incestus, Biga-  
mias, & Trigamias, adulteria publica, homicidia absq;  
pœnitentia solenni, vsuras impunè tolerari.

De diuortijs, Matrimonijs, legitimitate, excessibus occultis  
& publi-



& publicis in Deum, & loca sacra, nullum ius institui.

### Ad tertium.

#### *III. Vtrum expediat Reipublica, & fas decorumq; sit:*

Seculares, Sacerdotum officia sibi vsurpare, & Decimas manipulares, & alias, contra iura Diuina & humana, à subditis suis extorquere, & in proprios vsus conuertere: Hæreditatem Christi, panem Ecclesiæ Dei, alimoniam & victum pauperum, his quibus iure & consuetudine debetur, subtrahere.

### Ad quartum.

#### *IV. Vtrum expediat Reipublica, & fas decorumq; sit:*

Seruos Dei, & Sacerdotes Ecclesiæ sanctæ, sine honore esse, & contemptui haberi, ac pro gratia fidei & religionis, vnà cum libertatibus publicis introductæ, & semper impendi solitæ, iniuriâ affici, exactiõibus onerari, & quodammodo exauthorari.

### Ad quintum.

#### *V. Vtrum expediat Reipublica, & fas decorumq; sit:*

Ex Ecclesijs Deo dicatis stabula fieri, desolationem & abominationem intueri: Sepulchra Christianorum violari: sine Sacramentis & cultu diuino plebem passim viuere, & mori pecudum more: Thesauros Ecclesiarum & ornamenta distrahi, & in vsus prophanos, contra leges Regni, conuerti: Fundos & census ad laudem Dei adscriptos, adimi.

## Ad sextum.

*VI. Vtrum expediat Reipublica, & fas decorumq̄ sit:*

Solos Sacerdotes sine lege, sine iustitia, sine Iudice, tam reales, quàm personales, iniurias pati.

Neces & percussiones Cleri, impunè grassari.

Sacerdotes, Iudæis, Scythis, & quibusuis obscurissimis hominibus, Iudicem tamen, Iustitiam, & defensionem habentibus, postponi.

Deum in seruis Ecclesiæ sanctæ sperni, & contemni.

*Augustinus in Psal : 84.*

Fac iustitiam; & habebis pacem, vt osculentur se iustitia & pax. Si enim non amaeris iustitiam, pacem non habebis.

*Idem Augustinus Epist : 166.*

Concordate nobiscum fratres, diligimus vos : hoc vobis volumus, quod & nobis. Si propterea nos grauiùs odistis, quia errare vos & perire non permittimus, hoc Deo dicite, quem timeamus minantem malis pastoribus, & dicentem : Quod errauerat, non reuocastis; & quod perierat non inquisistis.

*Idem ibidem.*

Quando Imperatores veritatem tenent, pro ipsa veritate contra errorem iubent, quod quisquis contempserit, ipse sibi iudicium acquirit. Nam & inter homines poenas luit, & apud Deum sortem non habebit, qui hoc facere noluit, quod ei per cor Regis veritas iussit.



# De Controuersijs

*Inter Ordinem Ecclesiasticum & Secu-  
larem, in Polonia;*

Ex Iure Diuino, Regniq; Statutis, Pri-  
uilegijs, ac Præscriptione,

TRACTATIO.

In qua refellitur libellus quidam famosus & mor-  
dax, contra *Querimoniam*, & *Postulata Cleri*, in  
postremis Regni Comitijs, Regi, Regniq;  
Ordinibus, publicè oblata, con-  
scriptus.

*Ordinis Ecclesiastici Calumniatori, S.*



V i s tibi malus genius, (Ordinis Ec-  
clesiastici Calumniator) hanc mentē  
iniecerit, vt in vniuersi Poloniae Cleri,  
iustissimam querelam tam liberè li-  
centerq; inueherere, ignoro sanè: ma-  
lum tamen genium fuisse, qui tam insani atq; de-  
mentis consilij, auctor tibi extitit, non de meo sen-  
su iudico, suspicionibus, coniecturis uè leuissimis per-  
suasus, sed firmissimis nixus argumentis, & ijs omni-  
nò signis, quibus omnium verè Christianorum o-  
pinione veritas solet illustrari. Video enim te graui

miseroq; hæreseos morbo laborare, & ex odio quodam infinito, in Ordinem Ecclesiasticum concepto, hanc non tam defensionem tuorum riuulium suscepisse, quàm grauissimâ Deo dicatos homines calumniâ, nimisq; callidâ & malitiosâ iuris interpretatione petijse. Hoc enim cùm vniuersa tractationis tuæ series indicat, alia ex alijs conuitia nectens, tum illa speciatim probra: [Nullum finem iurisdictioni vestræ imponitis, Noua erigitis subsellia, Opibus secularium inhiatis, vtrumq; gladium tacitè vobis dari postulatis, fatis superq; comprobant.] Hæresi autem te pestilentissimæ Lutheranorum addictum esse, non iniquissimæ solùm causæ à te suscepta defensio, verùm etiam in Catholicam Romanamq; Ecclesiam infinita, intolerabili cum petulantia, coniecta maledicta demonstrant. Quæ cùm ita sint, quis verè, sincerèq; Christianus, te instinctu afflatuq; Diuino, & non potiùs cacodæmonis impulsu, & hortatu, ad hanc aduersus vniuersum Ecclesiasticum Ordinem scriptionem, animum appulisse persuasum habeat? Zelum enim amarum habere, vt Iacobi Apostoli vtar verbis, non est sapientia defursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica: hæreses autem, vel ipso Paulo testificante, doctrinæ dæmoniorum existunt. Iniuria igitur, calumniator, & ad causæ iniquissimæ defensionem fraudulentè, ita disputationem tuam vniuersam aduersus Clerum instituis, ac si Polonæ nobilitatis totius, quæ secularis vulgò nūcupatur,

In Præfatione.

Iacobi 5.

1. Tim. 4.

cupatur, partes tuendas ac defendendas suscepisses. Quasi verò vel omnes Seculares Lutheri dogma pestiferum sequerentur; vel alioqui Lutherani tuam impudentiam comprobarent in Ecclesiasticorum, postulatis exagitandis; vel deniq; pleriq; Catholici non essent, & ij qui Clerum omni honore & veneratione, vti & Romanam quoq; Ecclesiam vniuersam, prosequerentur: quamuis ex eorum numero pauci à quibusdam in fraudem inducti, & nescio qua opum cupiditate inflammati, non ita libentes Ordini Ecclesiastico Decimas dependant, & aliquã quoq; iurisdictionis eiusdem partem velint imminutam. Sed est hoc à te astutè & veteratoriè factum, vt minùs perspicaces & acuti, qui te pro Republica agere suspicarentur, faciliùs causam iniustam & iniquam probandam sibi putarent. Toto tamen aberras coelo, si vel Catholicos, & viros omnes bonos, tam rationis consilijq; expertes arbitraris, vt fraudem tuam non intelligant; vel nullos ex vniuerso Ordine existere putas, qui cæteris artes tuas atq; dolos patefaciant. Sunt enim nobiles Poloni propemodum vniuersi, quæ Diuina est bonitas, ita Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ addicti, vt ea non perspiciant modò, sed respuant & reieciant omnia, quæ vni communiq; Christianorum Religioni aduersantur; atq; adeò ita animis affecti, vt vel milles malint Decimas Clero dependere, quàm tuæ infulsissimæ & insolentissimæ orationi suffragari. Sed

Sozom : &  
Theodor :  
in lib : Ec-  
clesiast. hi-  
stor.

2. Petr : 2.

fuit hic semper hæreticorum mos, vt opinationes  
erroresq; suos quamuis paucis probatos, multorum  
tamen nomine orbi Christiano proponerent vni-  
uerso. Quem in primis secuti ante mille peneq; du-  
centos annos Arriani, Patrum Ariminensis Synodi  
auctoritate abusi, hæresim suam dementissimã pro-  
bare volebant. Cæterùm vt dolus ipsorum malus  
Catholicos haud diu latuit, ita tua tuorumq; fraus  
viris sapientibus & cordatis patet: perditio quoque,  
vt cum D. Petro loquar, non dormitat. Aduersum  
te igitur, calumniator, non ita agam, ac si cum no-  
bilitatis patrono controuersia mihi foret, sed cum  
eo viro, qui specie nescio qua falsæ libertatis, & Or-  
dinis secularis simulato studio, Ecclesiam vniuersam  
infectetur: illudq; ostendam, te iniquè Catholicos  
eorum criminum, quæ iisdem intendis, facere reos,  
atq; adeò ipsos te ex iure manu confertum, vocare  
posse, quòd in alienas possessiones tam temerè im-  
pudenterq; irrueris. Mendacia quoq; tua prodam  
innumera, quibus tibi visum est hunc tuum libel-  
lum, tanquam flosculis inspergere: incitiam deniq;  
& imperitiam maximam patefaciam, qua turpiter  
non in Theologia modò, quam profiteri videris,  
sed in ipsa etiam Polonorum historia,  
quæ in medio posita, omnium ferè ma-  
nibus teritur, lapsus es.



C A P V T I.

*Primam Ecclesiastici Ordinis querimoniam,  
de Apostasiis, blasphemis in Deum, hæ-  
resibus, &c. iustissimam esse.*

**E**T quidem vt Fidem liberem meam, & illud  
quod sum pollicitus, absque longo verborum  
circuitu præstem, ineptam illam tuam & insulsam,  
calumniator, præfationem non attingam: ne dum  
ipse maledicta, quibus solis abundat, verso, oratio-  
nem meam commaculem; sed Caput tractationis  
tuæ primum aggrediar, in quo quamuis nihil ad  
Ecclesiasticorum querimoniam appositè responde-  
ris, quia tamen aliquid popularibus tuis respondisse  
videri vis, quàm id fueris affecutus, ante omnia de-  
monstrabo. Cùm igitur Clerus grauius, pro rei in-  
dignitate & atrocitate, iureque optimo pro officij  
munerisq; sui ratione, questus esset, passim Apostatas  
fieri, schismata, & peregrinas Religiones innume-  
ras in Regnum inuehi, Deum blasphemari, Chri-  
stum publicè negari, Hæresibus nullum modum &  
finem imponi, Atheismum, Paganismum, Sarace-  
nismum, in Regnum introduci, iniurias in Deum  
impune fieri, Magistratum denique, qui Dei & Re-  
ligionis causam agat, & tueatur, nullum in Repu-  
blica permitti, cùm inquam hæc omnia lamenta-  
biliter deplorauisset: tu id iniuria Clerum facere, vo-  
lens de-

lens demonstrare, nullis in medium adductis argumentis, triumphantis in morem exclamas solùm : [Ostendite tandem qui reuera Apostata sint; ostendite, qui Religionem Apostolicam, spiritu fundatam Apostolico, violârint; ostendite quis tot hærefes non aded in Regnum hoc, quàm in Regnum & hæreditatê Christi inuexerit. Hæc probate Patres, nec causa inaudita condemnate fratres.] Quasi verò arduum omnino opus esset, ac non imperitissimo cuiq; facillimum, innumeros producere ex grege vestro, qui perruptis pudicitia claustris, ac voti religione contempta, ex castis Deoq; sacris Monachis, vobis impulsoribus & auctoribus, mulierosi Ministri euaserunt. Quasi etiam perdifficilè & illud foret, complures enumerare, qui Catholicam semel egressi Ecclesiam, & vestra secuti turbulentissima castra, non minùs quàm Apostata Iulianus, perfidiosè & nequiter libris editis, Christi fidem, adeòq; Christum ipsum oppugnauerunt, & ita etiam in præsentia vitæ suæ rationes omnes instituunt, vt satis appareat omnem eos de religione curam, cogitationemq; abieçisse. Quasi denique, & vos ipsi, ô Lutherani & Caluini, qui Ecclesiam Catholicam, in qua nati & educati estis, Christi q; vestimenta (vt Hieronymi vtat verbis) suscepistis, temerè ac nefariè, ad vnus improbissimi hominis vocem deseruistis, Apostatarũ nomen & appellationem (quod non calumniandi, sed veritatis aperiendæ studio dixerim) effugere iure possitis, vel te ipso, calumniator, iudice. Illos enim

Apostata-

Epist. 57.  
init.

Lutherani  
& Caluini.  
sz, Apo.  
statæ.



Apostatas censes, [qui Religionem Apostolicam, spiritu fundatam Apostolico, violârunt.] Vos autem an nõ violâstis? an non læsistis? an non polluistis? Quam enim Apostolicæ fidei partem integram, incorruptamq; retinuistis? Liberum hominis arbitrium vobis nullum est: Missæ sacrificium improbatur: pœnitentia displicet: satisfactio dura est: diuorum inuocatio, ciborum delectus, instituta & vota Religiosorum, alia, repudiantur omnia. Quæ tamen singula, ita Scriptores Catholici eruditissimi & eloquentissimi, à vestris calumnijs defenderunt, vt non modò respondere, sed ne hiscere quidem audeatis: ita etiam vestræ factionis auctores, Calvinus, Melanchton, Magdeburgenses à veteribus fuisse recepta confitentur ( quamuis nœuos Patrum hæc omnia stolidissimè nuncupent ) vt non iam nata, sed perpetuò credita fuisse constet: ita deniq; totius Ecclesiæ, Græcæ iuxta & Latinæ, firmavit auctoritas, vt non aliunde, quàm à Christi Seruatoris institutione, & Traditione Apostolica, dimanare potuerint. Si enim omnium gentium consensionem M. Tullius naturæ legem uerissimè dixit: quidni & omnium Christianorum conspiratio, lex quoq; Christi æstimetur? Iam verò hæreses, quas non olim damnatas & extinctas ab inferis reuocâstis? Solam enim fidem ad salutem sufficere, in eaq; iustitiam consistere, an non cum<sup>a</sup> Simone Mago, &<sup>b</sup> Eunomio asseueratis: sacrum Chrisma & consensionem reijci-

In lib. Institut.  
Lib. de Ecclesia.  
In singulis Centur.

Vide Censuram Socolouij.

<sup>a</sup> Iren: lib: 1. cap: 20.  
<sup>b</sup> Aug: hæz:

54.

e Theodo<sup>1</sup>:  
 l. 3. her. fab.  
 Opt: cont:  
 Parmē. l. 3.  
 Socrat: 4.  
 hist: c. 24.  
 Cyp: lib. 4.  
 Epist.  
 d Hier: Di-  
 alog: cont:  
 Vigilant:  
 Nicana Sy  
 no: 2.  
 e Aug: her:  
 53.  
 Damasco:  
 lib: de hæ-  
 resib.  
 Nice: l. 16.  
 hist: cap: 6.  
 f Petrus:  
 Clun: li: de  
 sacri: Miss.  
 g De con-  
 fecer: d. 2.  
 In Arric:  
 Romæ: Pa-  
 ris. & Oxor-  
 damnatis.  
 h Hier: cōt:  
 Iouin.  
 i Epiphani:  
 hæz: 75.  
 Aug: ser: 53.  
 k Theod: l.  
 1. hist: ca: 8.  
 Basil: li: de  
 Spir: 8. c. 5.  
 a In Genesi  
 p. 609.  
 Lib: 2. de  
 Exord: &  
 error: Ana-  
 bapt.  
 Dialogo  
 de Anaba-

tis, cum<sup>c</sup> Nouatianis & Donatistis: Sanctorum ve-  
 nerationem, Reliquias & Imagines cum<sup>d</sup> Vigilantio  
 & Iconoclastis: orandi & sacrificandi pro De-  
 functis consuetudinem, cum<sup>e</sup> Aërianis, Xenaia, &  
 Armenis? An non Missæ sacrificium cum<sup>f</sup> Petro-  
 brisianis execramini, verba Dominicæ Coenæ ad-  
 tropum, symbolumq; refertis, adeoq; Christum ex  
 Eucharistia tollitis cum<sup>g</sup> Berengario & Wicleffo?  
 An non vota & virginitatem cum<sup>h</sup> Iouiniano, sta-  
 ta ieiunia cum<sup>i</sup> Aërianis improbatis? An non solâ  
 Scripturam, in controuersis fidei quæstionibus, iudi-  
 cem statuitis, traditiones non scriptas respuitis, cum<sup>k</sup>  
 Arianis, Eunomio, & hæreticis, qui vnquam ex-  
 titerunt, vniuersis. An non deniq; , vt finis aliquã-  
 do sit, vestra potissimum, ô Lutherani & Caluina-  
 ni, operâ, hæresis pestilētissima Arij toties iugulata,  
 ἀντονομία<sup>a</sup> adeptâ, reuixit? Hanc enim vos, libertate  
 religionis non tam impetrata, quàm imperata, in  
 Poloniam induxistis; Caluini & Lutheri hæreses  
 complectendo in patriam intulistis. Vt enim ex  
 Lutheri & Caluini opinationibus ortū Arianismus  
 habuit, ita quoq; ope eorundem propagatur. Or-  
 tū autem ex ipsis habuisse constat. <sup>a</sup>Primum enim  
 Lutherus & Gassius id confitentur. Antonius eti-  
 am Coruinus Lutheranus scribit, Anabaptistas è  
 Zuingliana potissimum secta, haud aliter atque ex  
 equo Troiano, prodijisse. Ipsi quoq; Trinitarij, E-  
 uangelij sui originem ad vos tanquam parentes re-  
 ferunt,

ferunt, & subinde sua dogmata ex vestris scriptis, tanquam sanctioris cuiusdam auctoritatis commē- tationibus, tuentur atq; defendunt. Præterea nulli ferè statim qui Catholicos deserunt, Anabaptistæ fi- unt, sed primò Lutherani, tum Calviniani, demum Anabaptistæ & Trinitarij euadunt. Deniq; vbi Lu- therani & Calviniani pedem non fixère, nulla reli- quarum, pestium inuenitur : vt meritò quidam Symmistes vester, primæ paginæ libri Cracouiæ à se editi, illa verba: Nisi vitula mea arâssetis, non in- uenissetis ( Trinitarios notans ) inscripserit. I nunc, calumniator, & illud gloriare, si lubet, nullas vos hæreses in Poloniam inuexisse: illud quoq; decanta: [ Hæc probate patres, nec causa inaudita condemna- te fratres. ] Audita iam causa olim est, eademque quæ veteres hæreticos, à vetustissimis Concilijs atq; Patribus lata sententia condemnauit, vos quoque, vestraq; dogmata reprobauit. Blasphemias autem, ( quas in sua quoq; querimonia Ecclesiasticus Ordo deplorat ) si in Polonia vigere quis ambigat, eidem Budnæi, Farnouij, Anabaptistarum Polonorum li- bri, Conciones, fidenter dico, dubitationem faciliè tollent. Atheismos & Iudaismum ( de his enim & querela instituitur ) in Polonia quoq; inueniri, tam est exploratum, quàm certum innumeros Caluini- stas, Lutheranos, Trinitarios, Dei prouidentiam in- ficiari; animorum negare immortalitatem; omnia necessitati atq; fato tribuere; Deum denique ipsum

Iud. 14.

Blasphe-  
mi.

Athei &  
Iudæi.

è mundo tollere. Et si liberet, possem & ipse atheos aliquos recensere: eorum quoq; proferre nomina, qui non minùs quàm Iudæi, & sceleratè sentire, & impiè loqui haud verentur. Sed idem meum est, quod vniuersi Ecclesiastici Ordinis, consilium, & longè malim tam grauem Reipubl: calamitatè deplorare, quàm in nominibus tantæ ærumnæ auctorum percensendis laborare. Iure igitur, atq; meritò, calumniator, Ecclesiasticus Ordo de hæresibus vestris, blasphemijs, apostasijs, cæterisq; malis queritur.

## C A P V T II.

*Iniuste hæreses, ac blasphemias Ecclesie Catholicae, à Cleri calumniatore obijci.*

**E**Ras tu, Calumniator, quamuis dissimulare quàm fateri malueris, horum criminum quæ vobis Ecclesiasticus Ordo obiectârat, probè tibi cõscius: & proinde Rhetorico vsus artificio, quod veritate nixus nequiueras, quacùnq; ratione à te tuisq; depellere voluisti. Illud enim, etsi frustra, contendis vnum, vt quod in vos cadit crimen, in Catholicos vel deriuës, vel sanè cum Catholicis communices. [ Ipsam, *inquis*, Christi fidem, grauissima salutis mysteria proponentem, in aniles fabulas, quales de animabus defunctorum, purgatorij poenis, Sanctorumq; mortuorum ad sepulchra editis miraculis vulgò referuntur, non minùs fraudulenter, quàm impudenter conuertitis.]

Ac mox

Ac mox Catholicis hæreses obijcis: Alogianorū sine lege viuentium; Encratitarum, quòd Sacerdotibus coniugia vetent; Gnosticorum, quòd imaginum cultum retineant: tum & blasphemos eosdem facis, quòd in participationē gloriæ Dei Sanctos aduocârint, non absq; meriti Christi iniuria; Iudæos, quòd legis statuunt adimpletionē, fidei soli iustitiam denegando; sacrilegos, ob cōmunionem vnus speciei, contra Christi, Pauli, ipsiusq; Gelasij exemplum; deniq; Antichristianos, quòd Romano Pontifici, Gregorio etiā abnuente, Principatum in Ecclesia detulerint. Sed nihil efficis, nec efficies vnquam, nisi prius ostenderis hæc omnia aniles esse fabulas, hæreses, blasphema, Iudaica, Antichristiana. Quod non minus tibi fuerit promptum atq; facilè, quàm cœlū digito tangere. Quid enim? Ergonè fabulæ aniles erunt, quæ in Libris Machabæorum, de precibus pro vita functis inueniuntur? quæ Paulus de ijs habet, qui salutem assequuntur, sic tamen quasi per ignem, poenam videlicet significans, maculas expurgantem, & certo temporis spacio finienda m, <sup>a</sup> Ambrosio, <sup>b</sup> Hieronymo, <sup>c</sup> Augustino, <sup>d</sup> Gregorio, <sup>e</sup> Origene, <sup>f</sup> Theodoro, <sup>g</sup> Oecumenio, interpretibus? Ergonè aniles fabulæ erunt, quæ de miraculis ad sepulchra Diuorum, Isaia, Hieremiæ, Ezechielis, Stephani, Petri, Pauli, Mamantis, Babylæ, Geruasij & Protasij editis,

z. Machab: 17.

r. Cor: 3.

a In 1. Cor: 3.

b In c. 4. Amos

c In Psal: 31 &amp;

in 1. Cor: 3.

De cura pro

Defunct.

d Lib: 4. Dial:

cap: 39.

e Homil: 6. in

Exod. &amp; 14. in

Leuit.

f Apud D. Tho

mam opusc: 1.

cont: Græcos.

g In 1. Cor: 3.

h L. de vitis  
 Prophet: in  
 Synopsi.  
 i Lib: 22. cluit.  
 cap: 8.  
 k Or: in Ma-  
 mant.  
 l Or: de s. Ba-  
 byla.  
 m L. i. hi. c. 39.  
 n Lib: 3. c. 18.  
 o Lib: 5. c. 19.  
 p L. 3. c. 10. 11.  
 q Serm: de S.  
 Geruas.  
 r 2. Theff: 2.  
 s Lib: de Spi-  
 ritu S. c. 27.  
 t 1. Cor: 7.  
 u In cap: 1. ad  
 Tit. & lib: cōt:  
 Iouin.  
 x Homil: 23.  
 in Num.  
 y Contra hæ-  
 ref: Cathar.  
 z Cap: 1.  
 a Can: 3.  
 b Can: 2.  
 Apologer: c. 16  
 Apol: lib: 2.  
 In Octauio,  
 Lib: 6. contra  
 Iulian.  
 Carm: de pass.  
 Natali 19  
 Aet: 7.  
 a Apocal: 3.  
 b Apocal: 2.  
 c Lucae 19.  
 d Ioan: 12.  
 Genes: 19.  
 Exodi 19.

<sup>h</sup> Epiphanius, <sup>i</sup> Augustinus, <sup>k</sup> Basilius, <sup>l</sup> Chryso-  
<sup>m</sup> stomus, <sup>n</sup> Rufinus, <sup>o</sup> Socrates, <sup>p</sup> Sozomenus,  
<sup>q</sup> Theodoretus, <sup>r</sup> Ambrosius, memoriae prodide-  
 runt? Ergone hæreses erunt, quæ de Traditioni-  
 bus, Paulus Thessalonicensibus præcipit, & in  
 quibus <sup>s</sup> Basilius tantum momenti posuit, vt non  
 dubitauerit scribere eos, qui ipsas repudiare fue-  
 rint aggressi, clam ac pedetentim ratas ipsas Euā-  
 gelij sententias improbaturus? Ergone hæreses  
 erunt, quæ de coelibatu Episcoporum, aliorumq;  
 hominum Deo dicatorum, ex <sup>t</sup> D. Paulo, <sup>u</sup> Hie-  
 ronymus, <sup>x</sup> Origenes, & <sup>y</sup> Epiphanius disseruere?  
 uetustissima Concilia, <sup>z</sup> Neocæsariense, <sup>a</sup> Nicæ-  
 num I. <sup>b</sup> Carthaginense II. aliaq; complura san-  
 ciuere? Ergone hæreses censentur, adeo que  
 atheismi, quæ consentaneè ijs, quæ in Sacris literis  
 de Cherubinis, arca foederis extant, Patres de li-  
 gno Crucis, alijsq; imaginibus tradidere, Tertul-  
 lianus, Iustinus, Minutius Felix, Cyrillus Ale-  
 xandrinus, Lactantius, S. Paulinus, ac septima  
 Synodus vniuersa? Ergone blasphemum erit,  
 quod Sanctos Dei veneremur, quos Deus ipse  
 voluit honorari, quibusq; Christus <sup>a</sup> dedit sedere  
 secum in throno suo, <sup>b</sup> potestatem concessit su-  
 per gentes, <sup>c</sup> Ciuitatibus præposuit, ac denique  
<sup>d</sup> honorificauit Pater ipse, omnisq; perpetuò co-  
 luit antiquitas, cum his sacrae Scripturae nixa lo-  
 cis, tum illis quoq; exemplis, Abrahami, Loth;  
 Moyfis,

Moyſis, Iofue, qui ſanctos Dei Angelos adorârunt, aliorum quoq; qui eundem honorem viris Sanctis tribuerunt; vt Abdias Eliæ, filij Prophetarum Eliſæo, alij alijs? Ergonè Iudaica habebuntur, quæ de lege ſeruanda Chriſtus præcepit: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata; & quæ de operibus cum fide ſociandis Iacobus Apoſtolus tradidit? Ergonè ſacrilega erit vnus ſpeciei Communio, quam Chriſtus ipſe exemplo docuit, & Apoſtoli uſurpauere? Ergonè Antichriſtianus erit Petri in Eccleſia Principatus à Chriſto Seruatore conſtitutus, & omnium Patrum conſenſione, ad Romanos Pontifices, Succeſſores eius, deuolutus? Poteras tu hac tota acçuſatione ſuperfedere, vt friuola planè & inepta: quia tamen viſum tibi eſt eam aduerſus Catholicos inſtituere, liceat mihi aliqua tua mendacia & errores paucis annotare. Alogianos omnia ad traditiones retuliſſe, mendacium eſt. Si enim Traditiones Apoſtolicas approbauiſſent, & æternum Dei verbum, quod reiſciebant, ab Apoſtolis traditum ſuſcepiffent. De Tacianis quoque, Encratitis & Gnoſticis, quod cõminiferis, non minùs falſum eſt. Priores enim haud quaquam in hereticorum numero habiti ſunt, quòd cælibatum docuerint; ſed quòd nuptias quaſcunque etiam eorum, qui Deo continentiaẽ votum non fecerant, opus eſſe dæmonis dictitarent; vt Epiphanius, Philaſter, Auguſtinus, Theodoretus & Damascenus, ſcribunt. Gnoſticis nemo hoc, quod affirmas, vn-

Iofue 5.

3. Reg: 16.  
4. Reg: 2.

Iacob: 2.

Lucæ 24.  
Actor: 2.  
& 20.

Matth: 16.  
Ioan: 21.

Hæreſi 58.

Lib: de  
Hæreſib.

mas, vn-

mas, vnquam tribuit, ne ipse quidem Irenæus. Merito & honori Christi, Sanctorum veneratione derogari, & ipsum quoq; mendacium est: nam quod ipsos honoremus, à Christi quoque merito (à quo honore digni sunt effecti) proficiscitur. Et honorantes Sanctos, vt Augustinus ait, Christum honoramus: & honor seruorum redundat in Dominum. Quòd lapidibus & simulachris salutis causam tribuamus; perinde quoq; falsum est. Quòd ueterem reuocemus maledictionem, legis Christi obseruantiam, blasphemum est, & à veritate alienissimum. Fidem cum operibus sociando, designari peccata per Christum remissa, & non remissa, calumnia est: cum opera nostra, vim suam totam atq; virtutem, à Christo habere profiteamur. Gelasium Pontificem, vniuersæ speciei Cõmunionem improbauisse, à vero quoq; abhorret. Nam Gelasius eo Canone reprehendit solùm eos Sacerdotes, qui tanquam sacrilegi, solam panis speciem, neglecto calice, consecrabant: vt omnium Interpretum est opinio: cui & inscriptio à Gratiano ex mente Gelasij, capiti præfixa fidem facit: quæ sic habet: Corpus Christi sine eius Sanguine Sacerdos non debet accipere. Gregorium denique Principatum in Ecclesia sibi non vendicasse, ac nec ijs, qui eum præcesserunt, tribuisse, falsissimum est. Nam *lib. 2. Epist.* ait, Deo auctore, Romanam Ecclesiam cunctis prælatam Ecclesijs. Idem summam potestatem exercuit, cum Ioanni, primæ Iustinianæ

in Græcia

Serm: 26.  
de Sanctis.  
Epist: ad  
Ripar.

De consec:  
d. 2. cap:  
Comperi-  
mus.

Epist: 30.



in Græcia Episcopo pallium transmisit, & Adrianū Thebanum de iurisdictione Episcopi Larissei exemit. Et suis antecessoribus eandem prærogatiuam tribuit: imò & vniuersalis Episcopi titulum, in Synodo Chalcedonensi D. Leoni tributū scribit. Ipse tamen hanc appellationem in Ioanne Constantino-politano reprehendit; tum quia illi nullo modo cōueniebat, tum etiam, quòd omnes alios Episcopos excludere videbatur. Quæ etiam causa fuit, vt nec ipse agnomine eo vti voluerit, quamuis rem voce significatam sibi competere habuerit exploratū. Hæc cū ita se habeant, non te, calumniator, pudet, in Capitis tui primi Epilogo (ac si omnes Ecclesiasticos iam hæreticos, Atheos, blasphemos & sacrilegos, comprobauisses) in illa verba prorumpere:

[Eos ne iam qui talia doceant, vt inter nos religionis ambitu sedeant, ad eum Magistratum deligemus? aut qui hæreseos rei maximè peragantur, pro ipsis ludicibus assumemus?] Et illud per summam calumniam Catholicis imponere, quòd, cū queruntur, magistratum deesse, qui religionis causam agat, & statūs spiritualis curam gerat, eum desiderent, qui flamma atq; ferro religionem Catholicam tueatur. Et non deessent quidem fortasse, vel hic, vel alibi, qui existimarent, iure atque meritò hoc se posse expetere: cū semper hæreticos poenis afficere, moris & in ipsa quidem Polonia fuerit, hi tamen quos tu calumniaris, nihil hîc quiritant aliud, quàm in Ecclesia

Lib: 4. Epist: 15.  
Lib: 2. Epist: 7.

Act: 3.

Lib: 4. Epist: 32.

Lib: 4. Epist: 38.

stica iurisdictione tuenda, & Decimis recuperandis neminem esse, qui opem ipsis ferat, quod sanè est æquissimum. Aut forsitan non licet ei, qui iniuriã patitur, de iniuria sua queri, & magistratus opem atque auxilium implorare?

### C A P V T III.

*Iurisdictionem Ecclesiasticam, contra Iura Regni, perpetuamq; consuetudinem, iniustissime minui: Excommunicationemq; magno Reipubl: malo contemni.*

**C**VM in prima hac Ordinis Ecclesiastici querela exagitanda, vsq; adeò verecundiæ fines transieris: non mirum, si in reliquis discutiendis, benè & nauiter impudens existas. Et sanè ore durissimo es, in hac altera querimonia vexanda. Quis enim eandem iustissimam esse non videat? Cùm enim sacrilegia, periuria, incantationes, veneficia, aliaq; scelera, de quibus hæc tota querimonia instituitur, puniri grauissimè diuinæ literæ iubeant, eorundemq; præcipuos vindices, omnium Christianorum Iura, Ecclesiasticos esse voluerint: an non iustissima Clericis quirítandi causa est, quòd Excommunicatio, quæ Christi Seruatoris iussu, & Apostolorum exemplo, flagitiosorum hominum coërceat libidinem, petulantiam frangat, retundat audaciam, impunè illiciteq; contemnitur? Cùm etiam leges Regni sanctissi-

Matth: 18.  
2. Cor: 4.  
& 5.

sanctissimæ, ab integerrimis latæ Principibus, omniumq; Ordinum consensione firmatæ, huiusmodi criminum, & cognitionem, & iudicium, ad Clerû ita pertinere decreuerint, vt Arcium, Vrbiumque Præfecti, quod ille de fontibus statuisset, exequi tueriq; tenerentur: an non conqueri iure optimo possunt, mutatam iudiciorum formam atq; rationem, Iudicum Ecclesiasticorum conuulsam auctoritatē, eorundemq; sanctissima Decreta, vel negligi, vel contemni? Inficiabere fortassis leges vllas tales extare. Librum Statutorum peruoluta, & tum negare aude. En ipsa legum verba clara, testata, & perspicua. *Inprimis*, inquit Sigismundus Rex, *ad Spirituale iudicium pertinet, iudicare differentias Religionis: hæreses videlicet, schismata, blasphemias contra Deum, & Apostasias; pro Decimis, Septem Sacramentis Ecclesie, veneficijs, sacrilegijs, & Simonia, &c.* Quod ipse Decretum non ita tulit, ac si antea de iisdem, siue criminibus, siue causis, Ecclesiasticus Ordo non iudicauisset; (perpetua enim multorum seculorum consuetudo contrarium euincit) sed vt ne Ecclesiasticus Ordo hos iudiciorum fines egressus, ad controuersias seculares discutiendas dilaberetur. Hoc enim legis ipsius formula comprobatur, adeoq; tota ratio demonstrat. Capitaneos autem punire debere, quos Ecclesiasticus Ordo reos excommunicatione legitimâ castigat, Vladislavus & Casimirus, iam olim statuere. Ascribam verba: *Statuimus, & ordinamus*

*Sigismundus Crac:  
Anno 1543.*

*Vladislavus  
Crac: 1433.  
& Casimirus  
Petric:  
1458.*

dinamus per presentes, ut dum aliquis indigena Regni  
 nostri, cuiuscunq; status & conditionis existat, propter  
 raptum Decimarum, vel aliarum rerum Ecclesiastica-  
 rum occupationem, aut ratione excessuum quorumcunq;  
 siue etiam in contumacia, de non parendo iuri & man-  
 datis S. Ecclesie, sententiâ Excommunicationis iuste fu-  
 erit innodatus: ipsamq; ultra annum legalem pertina-  
 citer sustinuerit, nec curauerit pro excessu emendam ex-  
 hibere, extunc Anno huiusmodi elapso, omnia bona hu-  
 iusmodi excommunicati debent recipi per locorum Capi-  
 taneos, quibus subiacent, & apprehendi, & quousq; per  
 eosdem excommunicatos, &c. Mandamus igitur omni-  
 bus & singulis, Regni nostri Capitaneis, &c. quatenus  
 ad compeſcendam talium excommunicatorum duritiâ,  
 & temeritatem, premissa nostra saluberrima Decreta,  
 executioni debite debeant demandare, quoties per Præ-  
 latos super hoc fuerit requisitum. An his sanctionibus  
 quidquam potest extare liquidius & euidentius? Et  
 ne quis minus legitimas calumniari iure possit, ipsi  
 Principes, omnium Ordinum cōsensione latas, asse-  
 uerant, atq; etiam in librum Statutorum relatas, ut  
 cæteras omnes, ita & has quoq; Senatus vniuersus,  
 suo rursus suffragio comprobauit. Hæc tamen om-  
 nia ab his Regibus, de Iurisdictione Ecclesiastica,  
 eiusq; executione Decreta, non tum primùm coepta,  
 sed antea quoq; fuisse in Polonia vsurpata, ex vetu-  
 stissimis aliorum Poloniæ Principum, atq; Ducum,  
 Priuilegijs liquet. Vladislaus enim Odonis Poloniæ  
 Dux,

Quod idem  
 Casimirus  
 in Priuile-  
 gio data in  
 Opátowiec,  
 repetit.

Dux, in Priuilegio Ecclesiæ Gnesnensi concessio :  
*Renuncio, inquit, omni ordinationi Spiritualis Iuris, Anno 1233.*  
*tam domorum Religiosarum, quàm Secularium Eccle-*  
*siarum. Casimirus quoq; Magnus, in Priuilegio ei-* *Dat. Crac.*  
*dem Ecclesiæ concessio, plurima memorat, quæ vni-* *1357.*  
*uersam iurisdictionem Ecclesiasticam complectun-*  
*tur. 1. Interea decernimus specialiter, quòd si quispiã*  
*in predicta Gnesnensis, & eius Collegiatarum Ecclesia-*  
*rum predictarum bonis, aliquam in rebus, seu personis,*  
*violentiam notoriam fecerit: idem per memoratum D.*  
*Archiepiscopum, & suos Successores, ad satisfactionem*  
*condignam, censurâ Ecclesiasticâ compellatur. 2. Item*  
*decernimus, quòd excommunicati per Iudicem à iudicio*  
*repellantur, & ad testimonium, dummodo id in frau-*  
*dem non fiat, nullatenus admittantur. Idem quoq; in* *Dat. Posna*  
*altero Clericis egregiè consulit. Vbi, inquit, Sacer-* *nic, 1360.*  
*dotem, vel Clericum in sacris constitutum, vulnerari,*  
*capi, vel occidi contigerit, locus ille tam diu sit interdi-*  
*ctus, quousq; maleficiu huiusmodi committens, satisfaci-*  
*at, vel Ecclesiæ tradatur, aut homines loci eiusdem*  
*Sacramentum prestiterint, quod eis operam non danti-*  
*bus, neq; detinere valentibus, idem aufugit malefactor:*  
*& tunc in dicto loco diuina relaxabuntur. In eiusdem*  
*quoq; Casimiri Priuilegio concordia, omnium Or-*  
*dinum consensione facta, Excommunicationis ex-*  
*primatur poena, cuius executio Secularibus deman-*  
*datur. Eandem etiam Iurisdictionem vsurpatam,*  
*fuisse, & quidem obseruatam religiosè à Principi-*  
*bus ipsis,*

Anno 1252.

bus ipsis, quod Episcopi decreuissent ex Boleslai Pudici, qui Casimirum Magnum antecessit, sanctione patet. *Cupientes, inquit, libertatis participes effici, quae Christus suos liberauit; volumus, quantum ipso adiuuante possumus, libertatem Ecclesiasticam conseruare, ac nostris Successoribus transmittere conseruandam, &c. Firmiter autem promittimus, quod de causis, & negotijs Ecclesiasticis, Nos, vel alij Iudices Seculares, nullo modo cognoscemus, nec de ipsis nos intromitemus: sed Episcopus, Praepositi, Archidiaconi, & alij Iudices Ecclesiastici, de iisdem liberè iudicent, & disponant, sicut & Episcopus pro se, & supradictis Ecclesiasticis Iudicibus, nobis promisit, quod de causis Secularibus se nullatenus intromittent, quae ad nostrum spectent examen. Idè etiam ex Henrici Ducis Poloniae Priuilegio, quod Ecclesiae Gnesnensi, Vladislauuensi, & Posnaniensi, concessit, apertissimè constat. Promittimus, inquit, quod excommunicatos volumus in omnibus actibus legitimis euitare, & si ultra Annum in excommunicatione iacuerint, bona Excommunicatorum nostro fisco applicabimus, satis faciendo Ecclesiae de iisdem, prout, vel in quanto ipsi Excommunicati fuerant Ecclesiis obligati. Promittimus etiam dictas Ecclesias, contra earum indebitos turbatores, toto posse adiuuare, & ope nostra potentiae, fideliter defensare. Sed clarissimum, & vetustissimum, huius Iurisdictionis testimonium, apud Dlugossum extat: Cum enim nobiles quidam Decimarum pendendarum, consuetudini refragarentur, nec Ecclesias*

Dat: in Consuetudinibus: 1298,

Anno 1022.

clesias frequentarent, ( verba sunt Dlugofsi ) *Ministrosq; & Sacerdotes, de eorum Ecclesiis pellerent, Boleslaus Rex, gliscentem conspirationem in ipso suo ortu extinxit, nemine eundem impediante, quin adiuantibus potius vniuersis. Auctores enim illius, inquit idem grauisissimus Scriptor, missis militibus comprehendit, & capita conspirationis, partim capitali supplicio extinxit, partim verberibus multauit.* Atq; hæc quidem talia sunt, vt possint cuiq; etiam pernicaci, Iurisdictionem Ecclesiasticam persuadere, quia tamen & recentiorum Regum abundamus sanctionibus, & ipsas quoq; appingamus. Io: igitur Albertus & Alexander, in sanctionibus suis & excommunicationis minerê, & eiusdem per Capitaneos executionis. Sigismundus quoq; I. Statuto, quo nobilitatis immunitatem à teloneis persoluendis confirmat, hæc verba subiicit: *quam pœnam Iudex Spiritualis loci illius, de teloneatore per censuras Ecclesiasticas exigat.* Et Iurisdictionem Ecclesiasticam non semel commemorat; deniq; quod caput est, sanctione præstantissima eandem approbavit. Sigismundi autem I. filius Augustus, cuius auctoritate aduersarij inprimis nituntur, iurauit omnia Iura, Priuilegia, Libertates, Literas, immunitates Regni, Ecclesiasticas, Seculares, Ecclesijs, ipsiq; Regno Poloniae, eiusdemq; Prælatibus, &c. manu tenere, custodire, & attendere. Et in Coronatione sua: *Primum omnia, inquit, quacunque iurauimus omnibus subditis nostris, incolis Reg: Polon:*

An: 1496.

Craco: in  
sua Coron:  
1507.In Coronatione  
Sigis:  
Aug.Cracouie,  
1537.In literis  
Statibus Regni  
datæ.

cuiuscun-

cuiuscunq; Ordinis & conditionis fuerint, absq; ulla con-  
 trouersia seruare, defendere, & exequi uelle, &c.  
 Quod etiam singulari quoq; Priuilegio in Comitijis  
 Petricouien : confirmauit. Idem deniq; in recessu  
 Petricouienfi. *Neque etenim decet, inquit, S.R. Ma-  
 iestatem, Iurisdictionem Spiritualem in rebus Spiritua-  
 libus & Secularibus impedire. Quam cum alijs immu-  
 nitatibus Ordinum Regni seruaturum se iurauit, &c.*  
 Ad idem institutum facit, quòd ex multorum Re-  
 gum Priuilegijs constet, dignitates & officia immi-  
 nuenda non esse, ut habet Ladislaus Jagello in Ie-  
 dlina : *Dignitates, inquit, Ecclesiasticas & Secula-  
 res, non debemus minuere, neq; suffocare. Quod tamen  
 fit, dum Episcoporum, aliorumq; iurisdictione, uel impe-  
 ditur, uel tollitur.* Ex his omnibus liquet, Ordinem  
 Ecclesiasticum, sine controuersia iurisdictionem à  
 tempore susceptæ religionis exercuisse. Omitto, bre-  
 uitatis studio, Decreta in diuersis Ecclesijs lata, à  
 Regniq; Ordinibus approbata, nec in rei iudicatæ  
 executione vnquam impedita. Prætereo quoque  
 exempla innumera, huius, quam asserimus, Iurisdic-  
 tionis, in Regibus ipsis, Ducibus, Capitaneis, ijsq;  
 qui officia obibant publica, necnon communitati-  
 bus, Ciuitatibus, hominibusq; priuatis, hæreseos,  
 Apostaseos, blasphemix, sacrilegij, aliorumq; cri-  
 minum, condemnatis, poenis affectis, rebus Eccle-  
 siasticis uindicatis. Quæ omnia ex monumentis,  
 actisq; publicis, Archiepiscoporum, Episcoporum,  
 Gnesnen-

An : 1548.

An : 1555.



Gnesnensium, Cracouien : Vladislauien : & Posnaniem : comprobari possunt. Nec sanè, calumniator, habes, quo harum sanctionum æquissimarum infringas auctoritatē. Scio quidem riuales tuos, imò & te ipsum, Capite sequenti, illud com minisci, Cōstitutiones Anni 43. abrogatas esse ( ac si aliæ nullæ aliorum Regum extarent ) sed quibus quæso Argumentis ? quibu testimonijs ? quoniam videlicet Typographus Cracouiensis, non in ipso Statutorum libro, sed post omnia Statuta, imò post ipsum Indicē, monet Lectorem, rem ita se habere. Præclarum sanè testimonium. Quasi verò Typographis, legum condendarum, vel abrogandarum, esset auctoritas : quasi etiam ipsi Constitutiones illas abrogatas affirmanti, fides habenda sit ; cū nec quo rege, quo loco, quo tempore, fuerint antiquatæ, prodiderit. Verū heus tu, legum Polonarum perite, primam Sigismundi Augusti Petricouix latam legem, vidistin' ? Vidisse te non arbitror : neq; enim nisi penitus, & frontem, & mentem perdideris, ad tua, & Typographi tui, frigidissima commenta, prouocāsses. Te autem tantum Magistrum in Israël, eam non legisse, quis ferat ? Sed largiamur hoc tibi, & dum nostra tueamur, tuam insignem imperitiam, & legum cognoscendarum negligentiam interim dissimulemus. Is igitur quem dixi, Augustus Rex, in primo omnium Priuilegio, confirmationis Priuilegiorum, Iurium, & Immunitatum Regni Poloniæ, illud

illud quoq; Statutum Anni 43. quod tu cū tuo Typographo abrogatum comminisceris, in suo statu & vigore, id ab eo petentibus Minoris Poloniae Nūcij, manere voluit. Sic enim habet illa Constitutio, Polonice Anno 1550. edita, cuius verba ego Latine reddidi, & huc adscripsi: *Vt desiderio, inquit Rex, Equestris Ordinis Minoris Poloniae satisfiat, Statutum Anni 1543. in Vigore relinquimus ad alia Comitae: tantisper dum aliquid melius Iure communi statuamus.* I nunc, & te, tuq; similes, Regi oppone, & cū nulla postmodum habita Comitae, quae melius aliquid in hoc genere statuerint, protuleris, ac ne proferre quidem possis, aude porrò dicere, Constitutiones Anni 43. esse abrogatas. Nec illud tamen ignoro, alios, teq; ipsum, calumniator, inhibitionem Sigismundi Augusti commemorare solitos, qua ille vetuisse visus est, ne Decreta Iudicij Spiritu-  
 Cap: seq: An: 1563. Petricouie.
   
 lis, Capitanei exequerentur. Sed haec cum legibus Regni, Priuilegijs Cleri, adeoq; iudiciorum repugnet iuribus, nullam habere vim potest, ad leges ipsas abrogandas: maximè quòd in iisdem Comitijs, Episcopi vniuersi publicè eidem contradixerint; de-  
 que grauamine, vt loqui solemus, protestatione solenniter praemissa, vim videlicet Ordini Ecclesiastico inferri, omnes ex Senatu discesserint. Atque ea protestatio (ne fortè nos, quod tute facis, falso aliquid comminisci existimes) ea, inquam, protestatio habetur in Ecclesia Cracouien: sub inscriptione manus pro-

nus propriae, & sigillo eiusdem Regis. Eiusq; rei diploma ( ne hoc quoq; ignores, quanquam tot & tantis testibus indignus es ) Reuerendus D. Stanislaus Skarszewski, Canonicus Crac: post obitum Reuerendiss: Domini sui, Petri Myszkowski, Episcopi Crac: Venerabili eiusdem Ecclesiae Capitulo, asseruandum attulit. Quid? quod ipsa Sigismundi inhibitio habeat, solos Seculares eiusdem auctores extitisse? Deniq; & alijs Regni legibus eandem repugnare, quis rerum Polonarum peritus ambigat? Annè vlla sanctio firma, stabilisq; in Polonia nostra habeatur, quae non omnium Ordinum consensu roboretur? Non equidem opinor. Casimiri enim Regis, ipsumq; secuti Alexandri, Decretum est: *Statuimus cum vniuersis Regni nostri Praelatis, Consiliarijs, Baronibus, vt deinceps futuris temporibus perpetuis, nihil noui constitui debeat, per nos, & successores nostros, sine communi Consiliariorum, & Nunciorum terrestrium consensu, quod fieret in praedudicium, grauamenq; Reipublicae, atq; incommodum cuiuslibet priuatum, ad innoationemq; iuris communis, & publicae libertatis.* An non omnium Ordinum sacrandae legi requirit consensionem? Idem quoq; Alexander, in confirmatione Constitutionis Friderici & Carolinae, omnia Statuta, &c. contra libertatem Ecclesiae, vel personas Ecclesiasticas, &c. edita, illo ipso iure decernit esse nulla. Sigismundus etiam I. Petricouiae, *Constitutiones*, inquit, *nouas, non nisi cum Consiliariorum (Spi-*

*In Nieszwawa.  
Alexandri  
in Radom,  
fol: 115.*

an: 1538.

ritualium & Secularium) ac Nunciorum terrestrium consensu, secundum Statutū Alexandri Regis faciemus. Si tamen Secularis Ordo, Augusti Regis inhibitionem (legem enim ob iniquitatem pudet dicere) aduersus Clerum valere postulat, quidni (cūm potior ipse, & si non maior, Senatus pars sit) legē Regi suadeat, quæ ipsis Secularibus repugnantibus lata, vim suam roburq; obtineat? Æqua enim vtriusq; Ordinis ratio, quin & Ecclesiastici Ordinis conditio melior ac superior. Vt igitur iuris æqualitas, æqualitasq; iustitiæ consentanea, adeòq; Reipubl: necessaria conferuetur, fateatur oportet Secularis Ordo, eam qualem cunq; inhibitionem, nullius esse momenti atq; ponderis, ad Ecclesiasticorum hominum Iurisdictionem, vel imminuendam, vel infirmam. Sed tamen præterea rem ita se habere, & illud indicat, quod apud Herbortum Augusti extat, amplissimum confirmationis iurium Priuilegium, illa adiecta clausula: *Quod si aliquando eueniret, ut vel per nos, vel per quempiam alium, istis ipsis Iuribus, Statutis, Donationibus, Priuilegijs, Litteris, Immunitatibus, & Libertatibus, aliquid huiusmodi fieret contrarium, vel si illis derogare, easdem uè per nos ipsos abrogare aliqua re vellemus: extunc omne illud nihil firmitatis, neq; ponderis habere debet, sed omne illud, vigore istius Conuentus, nihili & cassum intelligi debet; prout & nos hoc ipsum annihilamus & cassamus, & nihili esse inuenimus, presentibus litteris nostris, temporibus per-*

Petriconiae,  
An: 1550.

*bus perpetuis. Quod si etiam nos contra hoc quidquam fecerimus, tunc non aliter intelligi debet, nisi quia in hoc ipso contra iusiurandum nostrum excessimus. Denique postquam inhibitionem fecerat literis suis (quæ etiamnum asseruantur) testatus est Ecclesiasticorum actiones iudiciarias, veteri more institutas, eadem minimè impediri. Et sanè sapienter Augustus Rex, quod minùs prudenter, ac Regni legibus ipsiq; rationi consentaneè, fanciuisse videri poterat, antiquauit & abrogauit, vt satis ostenderit de reliquis idem omninò censendum esse. Nam si de Apostasi, schismate, religionibus peregrinis, sacrilegijs, incantationibus, veneficijs, &c. Ordo Ecclesiasticus non iudicauerit, atq; adèò quod decreuerit, Seculares pro sua in Republ: potestate, non fuerint executi: illud sequatur necesse est, quod Ecclesiastici hoc loco queruntur, vt videlicet hæc omnia scelera impune fiant, inultaq; relinquuntur. Ad hæc nisi de diuortijs, matrimonijs, ab Ecclesiastico Ordine ita ius instituatur, vt quæ in iisdem peccata fuerint, Arcium, Vrbiũq; Præfectorum operâ corrigantur & emendantur, eò licentiã quadam ad extremum deuenietur, vt Diuina humanaq; iura violentur, ac perturbentur omnia. Quod ne accidat aliquando, Ordinis Secularis est prouidere. Hoc enim illis onus Diuina lege incumbit, vt quæ Iudices Ecclesiastici, religionis integritati & puritati aduersari cēsuerint, poenifq; digna decreuerint: ea ipsi seuerè vindicent.*

Reges enim ( atq; eadem ratione cæteri Magistra-  
 tus Ciuiles ) Ecclesiæ nutricij sunt, vt Isaias ait. Dis-  
 sipat quoq; impios Rex sapiens, vt in *Prouerb:* ha-  
 betur. Et in ipsa adeò Synagoga iubentur interimij,  
 qui Sacerdoti non obtemperant. Deniq; vt D. Au-  
 gustinus scribit: *Regum, atq; vniuersi Magistratus*  
*Ciuilis, munus officiumq; est, Deo seruire, sicut seruiuit*  
*Ezechias, lucos & templa idolorum destruendo: sicut*  
*seruiuit Iosias, talia & ipse faciendo: sicut seruiuit Rex*  
*Niniuitarum, vniuersam ciuitatem ad placandum*  
*Deum compellendo: sicut seruiuit Darius, idolum fran-*  
*gendum in potestatem Danieli dando: sicut seruiuit Na-*  
*buchodonozor, omnes in Regno suo positos, à blasphemando*  
*Deo, lege terribili, prohibendo. Debet & illud quo-*  
*que cogitare, vt D. Leo inquit, potestatem sibi non*  
*solum ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ*  
*præsidium esse collatam, vt ausus nefarios comprim-*  
*endo, & quæ benè sunt statuta, defendant, & ve-*  
*ram pacem his, quæ sunt turbata, restituant. Quod*  
*optimi quiq; Imperatores perpetuò obseruârunt.*  
*Theodosius funditus sustulit libertatem, ac omnes*  
*credere eo modo præcepit, quo Romanus Pontifex*  
*docebat esse credendum. Martianus quoque seuerè*  
*prohibet, ne quis ea quæ sunt in Concilijs Episco-*  
*porum, desinita reuoluat, aut de ijs publicè disputa-*  
*re præsumat. Eiusdem etiam generis alia de Iuniore*  
*Valentiniano, Constantino Magno, Casimiro Ma-*  
*gno, Alex: Sigismundo I. alijs legimus. Quos præ-*  
 clare

Isa: 49.

Prou: 20.

Deut: 17.

Epist: 50.

Epiſt: 75.

ad Leon:

August.

L. Cun-

ctos pop.

de S. Trin.

c. Eodè.

l. Nemo.

Ambr: in

Orat: fun:

Val.

Euseb. l. 10

cap: 5.

Cromerus.

clarè imitatus est feliciss: memoriæ Rex Stephanus, alijq; Poloniae Catholici proceres, Ordinis Ecclesiastici, & Iurisdictionem, & Decreta tuendo, quantum in tam infinita hominum libertate, seu potius licentia, valere. Atq; hæc omnia ita fieri oportere, & ratio ipsa suadet. Potestas enim spiritualis & temporalis, in Ecclesia, non sunt res planè distinctæ & separatae, vt regna politica plura: sed ita inter se connexæ & copulatae, vt vnum efficiant corpus, seu potius ita cohærent inuicem, quemadmodum anima, atq; corpus. Est enim potestas spiritalis quasi anima; temporalis, corporis instar; vt Nazianzenus sapientissimè differit. Debet ergo hæc, illi seruire, eaq; tueri ac defendere, ac veluti terrenum regnum, vt D. Gregorius inquit, coelesti famulari. Cùm igitur hæc vitia vniversa, quæ Clerus in sua querimonia deplorat, talia sint, quæ Ecclesiæ Christi, ipsiq; Reipubl: exitiosa & perniciofa existant, Ordini Seculari illud incumbit, vt omni studio elaboret, ne quæ Ecclesiastici statuerint; vel repudientur, vel negligantur. Hæc enim ratione corpus animæ consulat: quemadmodum anima, id est, Clerus corporis sui, Secularis nimirum Ordinis, & salutem querit, & dignitatem tuetur. Iustissima igitur, calumniator, (ad te enim redeo) Cleri querimonia est, quòd iam ob iurisdictionem Ecclesiasticam, si non omnino spretam, violatam tamen & offensam, sacrilegia, periuria, incantamenta, magiæ, bigamiæ, &c. quæ olim

Orat: ad  
pop: timore per-  
culsum.

Lib: 2. Epis  
61.

olim florente Ecclesiastico Ordine iacebant, nunc apud plurimos ita valeant, atq; vigeant, vt si non in honore sint, impunita tamen & inulta remaneant. Qua sanè in conuestione, nescio equidem, quid iure atq; meritò reprehendas : vt non demirari nequeā te, non modò communem calamitatem non deflere, sed in Ecclesiasticorum, adeòq; patriæ ipsius misérias insultare. [Iurisdictionem, *inquis*, doletis vobis ereptam.] Et quidni dolerent? quidni deflerent? Doleres & tu, calumniator, adeòq; defleres, si patriæ amore, Cleriq; studio tenerè. Sed quia hæresis animum tuum ab Ecclesiastico Ordine reddidit alienū, & salutis publicæ nullo teneris desiderio, quæ lachrymis digna sunt, risu prosequeris; & quod est deterius, omnem calumniandi eos, qui te non læserunt iniuria, arripis ansam. [Hæc vos, *inquis*, in Ordinem nostrum hominum Secularium congeritis.] Cùm tamen non in vniuersum Ordinem, neq; solùm hæc vitia congerant, sed multorum deplorent scelera, quæ tam impune licenterque patrantur. Ac mox: [Ostendite, *inquis*, primò apud vos nullos esse sacrilegos, periuros, veneficos, incestuosos, bigamos, trigamos.] Ac, ne quicquam calumniæ desit, affirmas Romanos Pontifices complures, magiam exercuisse; vniuersos autem, non alia quàm multa pecuniaria puniri; adulteros in Clero inueniri, qui plures alunt concubinas, eosdemque se lege Ecclesiastica tueri. Melius est complures alere concubinas, quàm, vel vnica



unicam vxorem Matrimonio iunctam habere. Ita tu quidem non minori improbitate, quàm audaciâ, in omnes Catholicos impudicam linguam exeris : & tantum non cum Pharifæo illo de te prædicas : Non sum sicut cæteri homines , &c. De Pontificibus, quod simplici affirmatione obijcis, simplici inficiatione pernego; id tamen à vero esse alienissimû, Catholici integris voluminibus ostendêre. Vitia Clericorum, mirû est, qua temeritate hic proferas. Quasi verò propterea, quod hæc in quorundam mores irrepererint, in communi hac temporum inclinatione, Ecclesiastico Ordini minùs liceat eadem deplorare. Aliquam fortassis iustæ accusationis occasionem nactus viderêre, si illud ostendere posses in Clero, hæc crimina omninò non vindicari. At ipse fateris pecuniariâ multâ puniri. Qua tamen non sola, vt tu impudenter asseueras, sed alijs quoq; poenis, ab Ecclesia Christi perpetuò vsurpatis, interdum quoq; vinculis atq; carcere castigantur. Iam verò in Ordine Seculari hæc vitia ita reperiuntur, vt vindicari nequeant ob reorum potentiam, & deprauatos hominum mores, ipsamq; excommunicatione, & quæ eandem consequi solebant supplicia spreta & contempta. Quod autem de lege Ecclesiastica, de concubinis narras, fabula est, malitiosum & mēdax, nequam capitis commentum : neq; tu illud, si te ruperis, vsquam lege Ecclesiastica sancitum reperias. Nam & concubinitus ipse omnibus, Ecclesiæ De-

Bellarmin.  
Tomo 1.  
Controu.

Vide Canones Pœnitent: in fine decreti. & Gloss: in c. Ad reprimendam. De Offic: Iudic: Ord: Cōc: Trid: Sess: 25. c. 14 de Refor. vide & Syl: Luxuria.

S. 3.

D. 34. c. Au dice. & ca:

Meretri-  
ces. 32. 9. 4.  
cap: Laici.  
D. 33. E-  
pist: Lucij  
Papæ, ad  
Episcopos  
Gallia.  
Trid: Sess:  
24. cap: 8.  
de Refor:  
matrimo.

creto prohibitus est. & Clericis non solum concubinato, sed sermone etiam, & extranearum mulierum cohabitatione, seuerè interdictum. Quod cum in Pontificum, & Conciliorum Decretis ita frequens sit, vt vltro in oculos incurrat, id tamen tu maleuolentiâ obcoecatus, & vt serpentes venenis, sic tu calumnijs & contumelijs vndequaq; legendis, intentus, animaduertere noluisti. In eo tamen præclarum te ostendis Iurisconsultum, quod de diuortijs, matrimonijs, & legitimorum illegitimorumq; controversijs, Ecclesiasticum Ordinem iudicare nolis, quoniam ex Clericorum numero aliqui concubinas alunt, & illegitimis, vt tu loqueris, abundant. Quasi verò paucorum vitia (complures enim & ipse fatentur existere morum continentiâ, & vitæ sanctimoniâ venerabiles) vniuerso sacrato Ordini obesse possent, eidemq; iudiciorum eripere facultatem. Quasi Secularis Ordo, quem tu Iudicem exoptas, ab iisdem criminibus immunis esset. Sed in eo, quod subiungis, omnibus Iurisconsultis palmam eripis. [Si quis, inquis, Clerici, voto castitatis per omnia respondeant, quid ad eos matrimonij cognitio pertinet, cum, ab eo tanquam immunditie abhorreant?] quasi verò iudicare de criminibus non liceat Iudici etiam minimè criminoso, eiq; qui flagitia omnia abhorreat, ac detestetur. Sed, ô bone, Catholici Iudices à Matrimonio, tanquam immunditie, non abhorrent, sed magnum cum Paulo Sacramentum esse, persuasum habent.

Ephes: 5.  
1. Tim: 5.

habent : cum eodem tamen existimant habere eos damnationem qui cum fuerint luxuriati , in Christo nubere volunt ; quia primam fidem irritam fecerunt. Animaduertebas tu, opinor, calumniator, hæc quæ attulisti, Ecclesiasticis hominibus iudicandi potestatem non eripere: ac ne illud quidem euincere, iudiciorum formam corruptam & deprauatam existere: & proinde, vt ferè solent ij, qui hostem in pugna cedere nequeunt, ex animi quadam impotentia, ad calumnias frigidissimas, & iniquissima probra dilaberis, & Sacerdotes ob violatas poenitentiae leges ( atqui si de illis iam disputaretur ) insectaris.

[ Qualem verò, *inquis*, nobis poenitentiae modum proponitis. Dura quidem vos egenis ac miseris onera imponitis, ipsi verò ea ne digito quidem attingitis. Venalem peccatorum veniam habetis, sedentes tanquam nummularij in Ecclesia, bullas indulgentiarum exponitis. Vobis religio quaestus est, ita vt qui plures nummos in arcam immiserit, licet parricida, & immanis homicida, cunctorum iudicio habeatur, modò multum soluerit, solutus discedat. ] Quæ omnia sunt huiusmodi, vt nihil instituto alienius, nihil probrosum magis, magisque falsum potueris Clero obiectare. Vbi enim, amabo te, vidisti aliam esse miserorum, aliam potentium, in Sacramento poenitentiae, conditionem? Vbi venalem peccatorum veniam? vbi Bullas Indulgentiarum ad quaestum expositas? parricidam quoque & homicidam imma-

nem, solutâ pecuniâ, solutum ac liberum abire? aut si vidisti aliquando, vbi saltem animaduertisti hæc Ecclesiastico Ordini probari, & nõ potiùs grauius seuerèq; vindicari? Proferenda tibi nomina eorum erant, qui hæc tot atq; tanta patrâssent scelera: loca, tempora designanda, quibus accidissent: singula deniq; testibus cõprobanda, si fidẽ dictis tuis haberi voluisses. Nunc autẽ cum horum præstiteris, omninò nihil, & temerarius accusator, & improbus calumniator, à nobis iure meritoq; habebis.

## C A P V T I V.

*Decimas, iure naturæ & Diuino, hominibus Ecclesiasticis deberi.*

**T**ertium Ecclesiasticæ querimoniæ Caput est, quòd Seculares Sacerdotum officia sibi vsurpent, & Decimas manipulares, aliasq;, contra iura Diuina & humana, à subditis suis extorqueant, & in proprios vsus conuertant: hæreditatem Christi, panem Ecclesiæ, his quibus iure & consuetudine debetur, subtrahant. Ad hanc tam grauem, iustamq; conquestionem, ea tua est, calumniator, responsio, vt equidem coniectura assequi nequeam, magisne astutus ac versutus, an iuris Diuini & humani imperitus, dici debeas. In ea enim ita te geris, vt ad omnẽ malitiam atq; fraudem, versare orationem tuam videare: ita quoq; leges cum sacras, tum profanas, quæ de

quæ de Decimis extant, pertractas, vt has vix attigisse, illas ne vidisse quidem te appareat satis. Quæ enim maior calliditas (de imperitia & incitia post viderimus) esse cuiusquam potuit, quàm tuam hîc esse deprehendo? vt enim rudis ac minus perspicax Lector, quàm difficili in loco versarere, quamque malam tuerere causam minimè animaduerneret, faciliusq; in errorem induceretur, ita misces & turbas omnia, vt leges prius editæ, posteriores esse videantur. Sed omnia quamuis implicatissima explicabo, inuolutissima euoluam, vt quiuvis intelligat te voluisse magis, quàm potuisse, Decimarum legem consuetudinemq; oppugnare. Et quoniam ita tractationem tuam instituis, vt prius num iure Diuino, tum an humano debeantur, disquiras, idem quoque à me seruabitur ordo. Libet tamen prius, vt absolutior perfectiorq; sit tractatio, illud ostendere: Iure naturæ Ordini Ecclesiastico deberi Decimas. Quod sanè nec arduum, nec difficile fuerit. Cùm enim natura eam notionem insculperit hominum mentibus, vt ijs, qui nostra causa labores subeunt, præmia deberi intelligamus: eâdem quoque admonente cognoscimus, Clero, qui in populi gratiam, multum operæ studijq; in sacrorum procuratione ponit, alimenta esse tribuenda. Et vnde Regibus vectigalia, militibus stipendia deberi intelligimus: inde quoq; discimus, Sacerdotibus esse Decimas persoluedas; cùm his veluti subsidijs, ita vitam sustentare debe-

Decimas  
iure natu-  
ræ Ecclesi-  
asticis de-  
beri.

re debeant, vt neq; egeant, nec abundant. Ac ne dubitare quis possit hæc ita se habere, Abrahami exemplum suppetit, qui Melchisedeco Sacerdoti Decimas dedit. Quem locum Chrysostomus explicans, Abrahamum hoc facto Doctorem nostrum fuisse scribit, atque adeò monuisse, quid nobis incumbat oneris. Iam verò vt ius Diuinum aggrediamur, ab eo potissimum ordiar, quod solum protulisti, & nulla ratione nixus reiecisti, Leuitarum exemplo. Leuitis Deus iussit Decimas dari, Sacerdotibus igitur tribuendæ. Quod enim erant in lege Moÿsis Leuitæ, hoc in Euangelio Sacerdotes. Et quamuis Christiani à cæremonijs legis liberi sint & immunes, prescorum tamen Patrum, nemo ab hac Decimarum sanctione eosdem solutos existimauit; quin potius ita de eadem differuere vetustissimi quiq; vt magis eadem Christianos, quàm olim Iudæos astringi dicerent. Quod in primis Clemens, D. Petri discipulus & successor, ex eo ostendit, quòd Christianorum iustitia plùs abundare, quàm Scribarum & Phariseorum debeat: quo eodem argumento & Augustinus utitur. Hieronymus autem: *Quod de Decimis, inquit, primitijsq; diximus, quæ olim dabantur à populo Sacerdotibus atq; Leuitis, in Ecclesia quoq; populis intelligite: quibus præceptum est, non solum Decimas & primitias dare, &c. id qui non fecerit, Deum defraudare & supplantare conuincitur.* Augustinus quoque eundem Malachiæ locum de Decimis explanans:

*Deus,*

Genes: 14.  
Chryl. Ho-  
mil: 35. in  
Genes.

Decimas  
deberi iu-  
re Diuino.

Leuit: vlt.  
Num: 18.

Malach: 3.

Lib: 2. A-  
post: const:  
cap: 29. 38.  
39. & l. 8.  
cap: 36.  
In Pl: 146.  
In c. 3. Ma-  
lach.

Serm: 219.  
de temp.

Deus, inquit, qui dignatus est totum dare, Decimam à nobis dignatur repetere. Deniq; Gregorius: Sicut, inquit, offerri iubemini à lege Decimas rerum, ita ei offerre contendite Decimas dierum. Vt mirum sit, te de Leuitarum exemplo ita differere, vt dicere non verearis, quid illud ad vos? cùm vnica hac nitaris interrogatiuncula: Nunquid pro sui muneris functionibus, tot ditati erant censibus & foundationibus? Ad quam si affirmando respondero, iam silendum tibi fuerit. Ita igitur respondeo. Neq; Leuitæ, vt tu parum Theologus existimas, solis Decimis sustentabantur. Hcebant enim insuper possessiones suas. Quamuis enim in partitione terræ, agros & vineas non acceperant: Vrbes tamen, quas inhabitarent, illis dabantur, & pecoribus alendis pascua. Emere quoq; illis fas erat, & à populo religionis causa oblata accipere, vt modo Ecclesiastico Ordini accidit. Vnde *Leuitici ultimo* præcipitur, vt si quis agrum Domino vouerit, eum Sacerdotes possideant. Quin & Regis ad Abiathar Sacerdotem vox est: Vade ad agrum tuum. Hieremias quoq; Sacerdos erat, & tamen agrum se emisse ac possedisse scribit. Deniq; Barnabas Leuita fuit, agrum tamen, quem habebat, vendidit. Et si his omnibus destitueremur firmamentis, causæ tamen iustissimæ subsunt, cur Clerus Christianus præter Decimas, alia quoq; iure possideat. Clerus enim Christianus amplior est, grauioribus sumptibus ac laboribus obnoxius. Tēplum

16. q. 1.

Homil. 16.  
in Euang.

Num: 18.

Deut: 10.

Iosue 13.

Num: 35.

Iosue 21.

Leuit: ult.

3. Reg: 2.

Hier: 32.

Act: 4.

plum Leuitis vnum erat, Pontifex vnus, & pauci quidam ex familia Aaron Sacerdotes, qui per vices in Templo ministrabant, cæteri famulorum loco erant: At Christianis templa sunt innumera, Decimarum prouentibus conseruanda & restauranda, Pontifices plurimi, & Sacerdotes propemodum infiniti, qui tamen litteris exculti sint oportet: quod fieri sanè nequit, nisi patrimonij magnam priùs iacturam fecerint. Deniq; perpetuò Ecclesiæ adesse debent, non vt illi certis atq; statis solùm temporibus. Sed non eo loco causa Ecclesiastica est, vt solo

Leuitarum exemplo nitatur. Nam vt D. Pauli verbis vtar: *Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere. Et: Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui Altari deseruiunt, cum altari participant. Quis militat suis stipendijs vnquam? Et: Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?*

Ad quem locum August: scribens in illud Psal: 146. *Parat terre pluuiã, producit in montibus fœnum, &c.* Ait populos, qui tanquam terra accipiunt pluuiam doctrinæ à Sacerdotibus, debere eis producere fœnum bonorum temporalium, Denique Christus ait: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Quem locum Hieronymus & Augustinus explanantes, præcipere aiunt Dominum, vt pendantur Cæsari tributa, & Deo Decimæ.

1. Cor: 9.

Matth: 22.

Aug: lib:  
50. in Ho-  
mil. 48.



## CAPVT V.

*Ecclesiasticum Ordinem, Decimas ad eos vsus  
accommodare, quos lex Diuina, & sacri Ca-  
nones postulant: nec calumniatoris cauil-  
lationes, quibus contrarium ostendere  
nititur, vllius esse ponderis.*

**A**T panis, *inquis*, vobis est ad affluentiam, & tamen  
nouis contributionibus, miseram nobilitatem præ-  
terito bello exhaustam, onerare vultis. Satiùs esset eas  
Decimas militibus seminudis, quibus nondum sunt ex-  
soluta stipendia, attribuere, quàm libidinosi & otiosi  
permittere: maximè quòd iuxta Canones vestros, bona  
Ecclesiæ in quatuor partes diuidi debeant. 1. Vt pro  
errogandis spectet eleemosynis. 2. Pro Templorum eri-  
gendis & instaurandis ædificijs. 3. Pro captiuis ab ho-  
ste redimendis. 4. Demum pro mensa Cleri.] Ac mox  
pauperes miseratus: [Quot ditâstis, *inquis*, pauperum,  
Collegia? Quot Tempia his temporibus crexistis, aut  
collapsa restaurâstis? Quot captiuos redemistis?] Tum  
causaris Ecclesiasticos, [Sculdetos suos, milites olim,  
Regni, per summam iniustitiam Regno ademisse, nec  
tamen publica sustinere onera.] Denique monitoris  
tibi imponis personam, aut potiùs rigidi cuiusdam,  
censoris. Grauius enim, in Clericos inueheris,  
[quòd opes tanto studio comparent, maioremq; pensi-  
onum, quàm salutis populi rationem habeant.] Ac bel-  
lè tu quidem hæc omnia, calumniator, ac de egen-  
tibus inprimis bellissimè. Vereor tamen, ne dum  
hæc stomachans tam inuidiosè commemoras, illud

Ioan: 12.

in te conueniat, quod de Iuda Iscariothe D. Ioannes Euangelista scriptum reliquit: *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, &c.* Vereor, inquam, ne pauperum cura nihil te sollicitet ac excruciet, eamque solum ob causam queraris, quod quæ Clerus possidet, tibi adempta putes, eademq; in tuis manibus cernere loculis, quàm in ipsorum Ecclesijs. Responderi tamen, nec incòmodè, illud opinor tibi potest, quod Christus Iudæ quiritanti dixit: *Sine illam. Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis.* Si enim Clericis hæc qualiacunq; Decimarum, ad vitam sustentandam, subsidia ademeritis, pauperes semper habetis vobiscum, Clericos verò nequaquam. Quis enim suis militat stipendijs vnquam? Et iam experti videmus, vbi Decimas per summam iniuriam Sacerdotibus eripulistis, ibi quoq; Clericos nullos inueniri, templis illatam vastitatem, cultumque Dei omnem interiisse. Quod vobis hæreticis sanè perplacet, qui Religionem Catholicam funditùs sublata velletis, & Ecclesiasticum Ordinem euersum penitùs: vt insanis vestris hæresibus & delirationibus, dari queat locus, & mulierosi vestri sathanæ Ministri, qui omnia harpyiarum instar diripiant, eidem possint succedere. Sed non sunt ita bardi atq; stupidi Clerici, addo quoque, nec ita Diuini cultùs & honoris obliti, vt Decimas hæreditatem Christi, Dei Opt: Max: gloriæ pro-

pagan-

pagandæ inprimis necessarias, & opportunas, vestris  
moti querimonijs, probris, & conuitijs, abijcere ac  
negligere velint. Quod autem ipsis ad affluentiam  
panem suppetere ais, nescio sanè quàm verum, sit.  
Equidem cùm omnē Poloniam oculis atq; animo  
lustro, singulosq; ex Ordine Ecclesiastico inspicio,  
paucos omninò video, quibus panis sit ad affluentiam,  
nullos quibus abundet ad luxuriam. Quin illud  
potiùs animaduerto, plurimos etiam Prælatos &  
Canonicos, vt innumerabiles Plebanos taceam, inopi-  
piâ laborare: ceteros vix tantas habere opes, quan-  
tæ ad dignitatem Ordinis sui, Ecclesiamq; Dei à ve-  
stris iniurijs tuendam & defendendam, sufficiant.  
Et si omninò affluerent, grauissimè in Deum pec-  
carent, si hæreditatem Christi vobis proderent, &  
Decimas si non ipsis vniuersis, maiori tamen Cleri  
parti, ipsiq; posteritati pernecessarias, sibi per vim,  
eripi paterentur. Si qui autem libidinosi & otiosi  
existant, vt aiebas, & non diffiteor, quamuis pauci-  
ores, quæ Diuina est bonitas, inueniantur in dies; ij  
pœnis Ecclesiasticis castigantur. De contributioni-  
bus (ita enim loqueris) quibus nobilitatem onerât,  
haud scio, an queas argumentis, quod verbo dicis,  
ostendere. Decimæ certè contributiones non sunt.  
Quod verò militibus satiùs fore easdem concedere,  
quàm Clericis dictitas, non existimo. Suum enim  
cuiq; tribuere, iustitiæ atque æquitatis suadet ratio.  
Decimæ autem Clericorum, non militum, sunt sub-

sidia. Militibus interim ab ijs soluantur stipendia, quibus id onus legibus Regni, ac perpetua consuetudine, incumbit. Decimas autem tantò satius est Clericis, quàm militibus elargiri, quantò præstat Christianam propagari Religionem, cultumq; Diuinum integrum ac incorruptum conseruari, quàm per paucos egentes milites, patriam interdum, aduersus vim externam, & hostium impetus, propugnari. Milites interim à Clero nō negliguntur. Non minùs enim Clerus, quàm Ordo secularis, ad eosdē, in Regni finibus, & bellis externis, sustentandos dependit, quam uis nullo ad id iure astringatur; ac ne Scultetos quidem suos, quod tu comminisceris, ad militiam ablegare teneatur, vt infra demonstrabo. Pauperum interim, quorum tu patronus videri cupis, nescio, an alioqui oppressor & oppugnator, eacura ab Ecclesiastico habetur Ordine, quam sacræ literæ postulant, ipforumque officij ratio requirit. Nec scio, an vlla Collegia pauperum, Cracouix, Posnania, Wilnæ, Calissix, Pultouix, Braunsbergæ, alibi, ab alijs quàm Episcopis ædificata, & annuis prouentibus dotata inueniantur; vt te meritò pudere tuæ interrogationis debeat: [Quot ditastis pauperum Collegia?] Templaque quoq; (contra, quam tu Ordini Ecclesiastico infensissimus asseueras) non vno in loco exædificârunt, & collapsa restaurârunt, Ecclesiastici; vel certè maximis impensis illustrârunt, & exornârunt. Calissix, Reuerend: Archiepiscopus

piscopus Gnesnensis, Stanislaus Karnkowski: Wladislauiæ, & alibi, Reuerend: Hieronymus Rozdrzewski, Episcopus Cuiuiæ. Posnaniæ, Reuerend: Lucas à Kościelec. Pultouiæ, Reuerendiss: Petrus Dunin Wolski, Episcopus Plocensis; vt alios innumeros taceam, quos recensere, si liberet, possem. Vt tu iam, nisi iniuriâ, queri nequeas, legem de quadripartita bonorum Ecclesiasticorum diuisione violari. Quæ tamen non est, quam tu imperitè scribis. Prima enim pars, Syluestro sanciente, cedit Episcopo, altera Presbyteris & Diaconis, tertia Templorû instaurationi, quarta Pauperibus & Peregrinis. Calumnias autem cæteras, & conuitia, quibus Clerum licenter & impudenter afficis, nihil moror. Neque enim tu ostendisti hætenus Clerum in eo errare, atque labi, quòd Decimas tanto studio quærat: nec illud fecisti planum, maiore eos opum cupiditate, quàm incolumitatis ac salutis ouium, teneri. Vos id quàm verum sit, iam pridem experientiâ discitis. Quot enim à grege suo ex vestra hæresi propellunt quotidie lupos? Quot delirationibus vestris, prauisq; opinionibus imbutos, ad Catholicam reducunt Ecclesiam? Quot à vobis euersas instaurant aras? Quot templa vestro violata scelere, in dies expiant? Quot deniq; vestrà infectos labe, ex Oppidis, Villisque, non vi, non armis, sed vitæ integritate, & eruditissimis ad populum Cõcionibus profligârunt? imò, quoniam opum cupiditatem nusquam non,

Syluest:  
 can: 4.

Clericis exprobras, non defuerunt, qui precio dato  
 Vrbes comparârunt, non tam fortassis opum desi-  
 derio, quàm studio religionis Catholicæ, in isdem  
 iam collapsæ, restaurandæ. In cæteris autem, quæ  
 ouium incolumitati conducunt, desiderare tu qui-  
 dem poteris aliquid, iure tamen atque meritò nihil.  
 Tanta Doctorum in populo erudiendo diligentia;  
 tanta Pastorum in Sacramentorum administratio-  
 ne sedulitas. Atq; hæc ad tuas, calumniator, non  
 tam rationes, quàm calumnias, in quibus etsi frigi-  
 dissimis, tutissimum tibi fore putâsti, si delitesceres,  
 cùm nihil reperires, quod firmum satis esset, ad id,  
 quod ostendendum susceperas, comprobandum:  
 Decimas nimirum iure Diuino, ad Ecclesiasticum  
 Ordinem haud spectare. Nos autem ita lege Diui-  
 na ad eundem spectare docuimus, vt ne contra qui-  
 dem hiscere valeas.

## C A P V T VI.

*Decimas, iure tum communi, tum Polonis pro-  
 prio, Ecclesiasticis hominibus esse persolendas: earun-  
 demq; pendendarum originem, non à bello in Syria, Cle-  
 mente III. Pontifice (vt calumniator fingit) contra  
 Saladinum suscepto, sed in Polonia à Mieczyslao  
 & Boleslao, vetustissimis Regibus, esse  
 petendam.*

**N**unc quoniam tibi ita visum est, asseuerare De-  
 cimas, nec iure quidem humano ad Clericos  
 pertine-

pertinere, id quoq; falsissimum esse, cum tua infirmo, tum nostra roborando, demonstramus. Et quidem initio illud mihi permirum est, qua fronte tu Decimarum initia facias, à bello nescio quo, Clemente III. Pontifice, contra Saladinum in Syria suscepto: ita, ut earundem non alia fuerit occasio, vel origo, quam quod Pontifex eo tempore, ut re Christianam laborantem iuaret, Decimas à Christianis, cum alibi, tum etiam in Polonia exegerit; quæ postea Vladislai Jagellonis lege, Clero efflagitante, lata, perpetuæ euaserint. Quis enim vetus rerum Poloniarum scriptor, tale quidpiam literarum monumentis commendauit? Quanam historia externa tradidit? Quis tam audacis atq; liberæ asseuerationis testis? Non equidem negarim, & olim consuetudinem fuisse, cum grauius aliquod periculum Reipubl: immineret, aut Hierosolyma à Saracenis, vel teneretur, vel vexaretur, ut Romani Pontifices, omnium Christianorum Principum opem implorarent, illudq; efflagitarent; ut Decimas belli quasi subsidia penderent: ab ea tamen, siue in Prouincijs exteris, siue in Polonia ipsa originem habuisse; illud est, quod penitus inficior. Et sanè meritò, iureque optimo. Si enim leges vniuersis communes Prouincijs, de Decimis sancitas, inspiciamus ( ut interim de perpetua, ab Apostolorum temporibus, eadem pendendi consuetudine taceam ) complures eiusmodi cõperiemus, quæ ante mille annos vigerint, alias

alias quæ ante Clementem III. & cùm Hierosoly-  
 ma à Saracenis, alijsq; Christiani nominis hostibus,  
 conquiesceret. Decimas enim solui oportere, hæc  
 omnia Concilia, ne Pontifices memorem, iure Di-  
 uino nixa, decernunt: Aurelianense I. Matisconen-  
 se II. Foroiulienſe, Moguntina tria, Rhemenſe, Va-  
 lentinum, Arelatenſe IV. Cabilonenſe II. Metenſe,  
 Triburienſe, & alia, quæ breuitatis cauſa, volens at-  
 que lubens, prætereo. Si autem ipſas Polonia leges  
 & Statuta, peruolutauerimus, facilè comperiemus  
 Decimas, in ipſa quoq; Polonia aliam, quàm belli  
 Saladini propulſationem, originem habuiſſe, ac non  
 recenti quapiam conſuetudine, ſed planè vetuſtiſſi-  
 ma, optimorumq; Principum legibus firmatas, &  
 roboratas. Mieczyslaus enim, (vt Dlugoffus, Cro-  
 merus, alijsq; qui de rebus Polonorum ſcripſerunt,  
 memorant,) ducentis, ante Clementem III. annis,  
 Chriſti ſacris initiatus, tanta religionis propagandæ  
 cupiditate flagrauit, vt multa ſtatim templa exædi-  
 ficârît, ampliffimis cenſibus & poſſeſſionibus locu-  
 pletârît, Episcopisq; inſtitutis, Decimas frugum o-  
 mnis generis, tã de ſuis, quàm ſuæ nobilitatis, adedq;  
 plebis agris, edicto perpetuo aſcripſerit. Quod ſanè  
 teſtimonium, tam eſt præclarum & illuſtre, vt ſi ali-  
 ud nullum, vel in Hiſtorijs extaret, vel in Statutis  
 inueniretur, ipſum ſolum ad Decimarum ius Cleri-  
 cis vindicandum ſufficeret. Quid enim? An legiti-  
 ma id decernendi poteſtas Mieczyslao defuit? At  
 Princeps

Cap: 17.  
 Cap: 5.  
 Cap: vlt.  
 Mogunti-  
 num tem-  
 pore Caro-  
 li Mag:  
 c. 38. ſub  
 Rab: c. 10.  
 tempore  
 Arnulphi,  
 cap: 17.  
 Rhem: ca:  
 38. temp:  
 Caroli M.  
 Valenti-  
 num tem-  
 pore Lo-  
 thar. ca: 10  
 Arel: IV.  
 cap: 9.  
 Cap: 19.  
 Cap: 2.  
 Cap: 13.  
 Mieczy-  
 ſlaus Prin-  
 cept Polo-  
 niæ, anno  
 965.  
 Clemens  
 III. anno  
 1188.



Princeps erat non modò sui iuris, sed etiam, nondū tanta subditis, quàm nunc cernimus, libertate concessa, vsq; adeò legum solutus vinculis; vt mutare, vendere, donare, pro arbitratu potuerit. Quod & alijs Principibus tum licuisse, immunitates ab ipsis concessæ comprobant. An Historiæ, quæ hoc Principis tam præclarum factum memoria prodidit, fidem abrogabunt? at id nulla subnixi ratione faciēt: eademq; opera gentis suæ, siue originem, siue res gestas omnes, dubias incertasq; reddent. Cur enim alijs narrationibus fides tribuatur; huic, quæ de Decimis instituitur, soliderogetur? Sunt igitur Decimæ non recenti memoria inuentæ, sed vnà cum ipsa Christi fide natæ: non vi, non armis extortæ, sed solo principis arbitrio, ac religione concessæ: non ad exigui spacium temporis, sed quàm diu Clerus in Polonia perdurârit. Hanc autem Mieczyslai legem, cæteros, qui ipsum secuti sunt, Reges, ratam legitimamq; habuisse, ipsi suo exemplo, gestisque, satis ostenderunt. Omnes enim Clero ex agris suis Decimas dependerunt; & si qui minùs interdum, id quod mandârunt, ipsi exequerentur, eos poenis grauissimis castigârunt. Vnde, cùm tempore Boleslai Regis, aliqui in earundem Decimarum manipularium solutione difficiles se præberent; nullatenus passus est, inquit Dlugossus, Decimarum manipularium, pro Ecclesijs & ministris Dei, in vniuersis Principatibus suo imperio subiectis, solutionem, aut varieta-

Boleslaus  
an: 1020.  
apud Dlu-  
gossium.

An: 1022.

te aliqua diminui, aut in dubium aliquatenus reuocari: sed deceruit & mandauit, illam esse perpetuam & perennem; varia ultionis Diuinæ flagella, filijs, nepotibus, successoribusq; suis interminans, si per quempiam illorum, præfatarum Decimarum contingeret solutionem intercipi, transmutari, vel rescindi. Et cum rursus nonnulli Nobiles Poloniae, (inquit idem Dlugossus) sathanâ suggerente, onerosam Decimarum manipularium solutionem, onerosos Christianæ Religionis ritus dicentes; hi præfertim, qui in spurcitijs gentilitatis enutriti, iugum orthodoxum non facile tolerabant, ad ritus redire prophanos, & vetustam sacrilegamque vitam resumere, & Decimas tempore instituto non reddere, nec Ecclesias frequentare, ministrosq; & Sacerdotes de eorum Ecclesijs pellere, frequenti conspiratione disponebant: id cum ad Boleslai Poloniae Regis notitiam perductum esset, non tulit fidelissimus fidei Catholicæ propagator, gliscentem conspirationem consurgere, sed in ipso suo ortu illam mox extinxit. Auctores enim eius missis militibus comprehendit, & capita conspirationis, partim capitali supplicio extinxit, partim verberibus mulctauit. Eius vestigijs insistens Casimirus Magnus, cum exorta cōtrouersia in Minore Polonia esset inter Bodzantā, ipsumq; non de Decimarum iure, sed de vecturis solummodo, rationeq; Decimas exigendi; ita demum litem finiuit, vt eam arbitrio Iarossai Gnesneñ: Archiepiscopi,

Casimirus  
Magnus,  
1369. in  
Stat: fol:  
53.

Scopi, reliquerit, easque leges Iaroslao censente, summa Senatorum voluntate ediderit, quæ & Decimarum iura stabiliunt, & modum earundem persolueendarum cum præscribunt, quem Archiepiscopus æquissimum opportunissimumque fore decernebat. Hunc etiam secutus Vladislaus Jagello, cum quidam inuenirentur, non quidem qui Decimas iure deberi inficerentur, sed qui easdem tamen per vim iniquissimè sibi vendicarent, poenasque & censuras, quibus ob tantam iniuriam afficiebantur, superbe contemnerent: eos quoque grauisissima lata lege coercuit. Cum autem non ita diu post, Casimiro eius filio, Reipubl: habenas moderante, idem accideret; is parentem optimum imitatus, sacrilegorum, decreto haud dissimili, compressit audaciam. Denique ne omnium Principum decreta atque sanctiones memorem, idem, Alexander, Sigismundus I. alijque Reges, in Decimarum firmâdo iure, adeoque exequendo, præstiterunt. Quæ cum ita sint, quis te, calumniator, ferat, Decimarum originem, à bello nescio quo, contra Saracenos suscepto, Clemento III. Pontifice, facientem? Quis item sustineat has Principum sanctissimas & æquissimas leges, partim prætereuntem, partim inuoluentem, partim repudiantem, de ipsidem denique ita populariter ac seditiosè differentem, ac si Decimæ nec ipsidem statuerentur, nec

Vladislaus Jagello, 1442. in Statut: V. Decimæ.

Casimirus 1458 fol: 66.

Casimiri decretale est exordium: Si Regni nostri subditis clementiæ nostræ, & Regali provisionis, in augendis iuribus; & immunitatibus, ac libertatibus conservandis, non extendimus: quanto magis Ecclesijs, unde laus & honor altissimo Iesu Christo, omnium creatori, salusque; provenit animarum, nec non personis & membris Ecclesiasticis, id facere ac impendere convenit,

In contextu & ea habentur; Decimas, quas sibi Deus in signum vniuersalis domini, pro alimento feruentium, reddi censuit, aliaq; animaduersione dignissima.

Sigismundi cōstitutio Cracouiz, 1532. Cū magna pars Reipubl: nostræ, in Ordine & statu Ecclesiasticō consistat, &c. Ecclesiæq; Regni nostri sint ampliter dotatæ, cū ad Diuinum cultum peragendum, & manutenendum, tum etiā ad viros literatos, &c. ibidem etiam habetur Cōstitutiones de Decimis, ex agris sterilibus, scultetorū, hortis, terris vastatis, &c. deniq; soluendas esse secundū priscam, consuetudinē, dicitur.

roborarentur? Quis deniq; te æquo animo patiat, vetustissimorum Miecyslai & Boleslai Poloniæ Regum, nullam planè mentionem facientem, eosdemq; , ac si nihil vnquam de Decimis sanciuissent, alto prementem silentio? Pudeat te, calumniator, tam mala fide pessimam tueri causam: rudemq; nobilitatem tam improba legum, siue dissimulatione, siue malitiosa & fraudulenta interpretatione, à sanctissima & vetustissima Decimarum persoluendarum consuetudine auocare. Efficies tamen nihil, nec vllum causæ tuæ afferes præsidium. Illas enim quas præteris, Miecyslai & Boleslai sanctiones, atq; gesta, aliorumq; Principum Decreta, perpetuò vrgebo, illisq; vel solis proclamabo, Decimarum aequitatē abundè firmari. Casimiri autem & Iagellonis, quas infringere conaris, leges ita tuebor, vt quiuis inrelligat te improbum esse calumniatorem, & Iuris Poloni non interpretē, sed vexatorem, & exagitatorem.

## C A P V T VII.

*Casimiri esse legem, qua in Statutis extat, de Decimis, quamuis Iaroslai Archiepiscopi Gnesnensis, inter Casimirum, & Bodzantam Episcopum Cracouiz, nomen prefixum habeat: eandemq; legitimum esse, ac perpetuam.*

**E**T quidem initio haud scio, quonā pacto iustissimam, vel malitiæ, vel certè imperitiæ, suspicionem

spicionem effugere possis; qui, cum Casimiri Magni, & Iagellonis, de Decimis sanctionum mentionem facias: Iagellonem tamen primum fuisse fingas, qui post commentitiam tuam, illam à bello sacro Decimarum originem, eadem lege firmauerit. Vladislaum enim Iagellonem, Casimirus Magnus, & atate, & Decimarum prædatoribus coërcendis, antecessit. Sed hoc tibi donemus: nobis interim fiat potestas, vt, quod ordinis postulat ratio, prius dispiciamus, quibus rationibus Casimiri legem labefactare moliaris. Sic igitur tu: [Leges, quæ Casimiri nomine circumferuntur, non Casimiri, sed Iaroslai & Bodzantæ sunt. Illæ autem, quid ad nos? Clerum illi suum legibus illis obligare potuerunt, nos nullo modo. Tum etiam si essent Casimiri voluntate editæ, &c. tamè absq; Secularium consensione latæ, nullæ forent. Non enim descripti sunt, *inquis*, præsentis equestris ordinis eius approbationis testes. Quod tamen in alijs Casimiri legibus obseruatum videmus. Et proinde nunquam pro legibus habitæ sunt, priusquam eas Lascus inter leges Regni retulisset.] Deniq; cum vniuerso clero eam transactionem fuisse factam pernegas, & proinde perpetuam esse nõ potuisse. Quia tamen hæc omnia exiguam omninò vim habere ad legem infirmandam animaduertis, illud saltem calumniaris; [extare aliam Bodzantæ legem, quæ ostendat Nobiles Decimam soluisse liberam, in Bodzantæ verò Decreto, à Decimis eos agros immunes pronounciari, qui à tempore Iaroslai coli coepissent; & cum contrarium Clerus vrgeret, nobilitatem, Cromero teste, repugnauisse.] Atque hæc tu

Apud Her-  
bertum, ,  
fol: 53.

quidem affirmas, sed inuerecundè prorsus, & impu-  
denter. Tam enim clarum atq; euidens est, hanc  
de Decimis sanctionem Casimiri esse, quàm aliam  
vllam ab ipso editam, & in Statutorum volumine  
comprehensam. Casimirus enim ipse, legem inpri-  
mis esse suam testatur: *Nos Casimirus*, inquit, *Dei*  
*Gratia Rex Polonia*, significamus tenore presentium,  
*quomodo cupientes, &c.* Et mox Decreta aduersus  
eos, qui Decimas ad se per vim rapuerunt, sequun-  
tur. Et vt ipsa legis æquitas declaretur, ipsius feren-  
dæ causas producit Rex: vt omnes, inquit, cuiuscûq;  
status & conditionis existant, honestè viuant, alter  
alterum non lædat, & ius vnicuiq; suum tribuatur.  
Tum ne minùs legitimè latam causari quis posset,  
de consilio, inquit, Venerabilis in Christo Patris &  
Domini, Iaroslai, S. Gnesneñ: Ecclesiæ Archiepi-  
scopi; necnon Prælatorum, Palatinorum, Baronû,  
& vniuersorum Nobilium nostrorum, de Terra  
Poloniæ. Deniq; , vt legis ipsa perennitas & perpe-  
tuitas ostendatur: *Ad perpetuam*, inquit, *rei memoriã.*  
Si hæc Casimiri lex non est: quænam eius sanctio al-  
teriusve cuiuscunq; Principis esse censeatur? Quid  
enim in hac lege desideratur, quod in alijs quibusuis  
sanctionibus inuenitur eo consilio adiunctum, vt  
earundem auctor cognoscatur? Quòd autem Iaro-  
slai & Bodzantæ nomina, legis statim initio asscri-  
pta sint, nihil siue veritati, siue firmitati legis dero-  
gat. Alio enim consilio, quàm legis statuendæ cau-  
sa, sunt

sa, sunt apposita. Primùm quidem voluntate Regis, qui eo in negotio opera eorundem vsus fuerat. Deinde necessitate. Siquidem illa ipsa sanctione, multum de seueritate in Decimis exigendis, tum vsitata, remittebatur. Hoc autem absq; Spiritualium consensu fieri non poterat. Deniq; stylo illius seculi, quo nondum certa formula legum ferendarum, vt nunc esse cernimus, præscripta fuit. Quòd verò singulorum Senatorum requiris nomina, iniuriam facis, cùm Casimirus ipse vniuersorum non Senatorum modò, sed etiam Nobilium consilio atq; suasu, eandem se tulisse dicitur: & aliorum quoq; Regum Decreta inueniantur, vbi ordine singulorum nomina non percenseantur; vt Ioannis Alberti Petricouix, Alexãdri in Radom, & ipsius Casimiri, quod tu impudenter inficiaris, Villicix. Quòd deniq; non cum vniuerso Clero transactione eam factam, (ita enim loqueris) & proinde perpetuam esse non potuisse, caufaris, friuolum est & inane. Quid enim obstat priuatam controuersiam, legi publicæ eòdendæ occasione præbuisse? Quid item rationi magis consentaneum, quàm vt iniuriam, quam Bodzanta passus est, optimi Regis æquitate, lex publica ab vniuersis propulsaret? Quia & perpetuam esse potuisse, atq; adeò perpetuam euasisse, Casimirus ipse testatur; & Decimarum pendendarum in Polonia consuetudo docet. De Lasco Episcopo, quod memoras, nihil moror. Nisi enim Lascum legem ipsam,

condi-

Ioannes  
Albertus,  
Petricouix  
An: 1496.  
fol: 96.  
Alexander  
in Radom,  
An: 1505.  
fol: 9.  
Casimirus  
Villicix.  
An: 1368.  
fol: 8.

condidisse ostenderis, nihil effeceris. Si enim quia in volumen Statutorum ipse retulit, minus est legitima sanctionis auctoritas: & alia abrogentur leges, quas Herbortus sparsas ac dissipatas comportavit. Interim de Lasco hoc dicere habeo, nullum extare volumen aliud, in quo Statuta descripta sint, Regum, Ordinumq; consensione, approbatum, & in Archiuijs, primarijsq; Ecclesijs, in charta pergamena asseruatum, vsuq; ipso & consuetudine tritum, præter hoc vnum, quod Lasco composuit. Ex eo Herbortus & Przulius, omnia desumpserunt; hic tamen, quia varia hæretica commenta Statutis apposuit, explosus est ab omnibus. Et quod caput est, vniuersalibus Sigismundi Augusti literis proscriptus: quas literas, est qui tibi si velis, eiusdem Regis sigillo munitas, ostendere possit. Sed enim hanc, siue legem, siue sanctionem, à Iaroslao quidem scriptam, Casimiri iussu editam, in veris Regni legibus, in præsentia esse numerandam, illud præterea ostendit, quod Vladislaus Jagello, hæc atq; similia Cleri Priuilegia, in vniuersum lege communi Ordinum consensu lata, stabiliuerit: *Vt indigena, inquit, nostri, tam Spirituales, quam Seculares, absq; ulla ambiguitate, iuribus & Priuilegijs, quæ illis sunt dudum à prædecessoribus nostris data, securius uti possent, nec aliqua circa eorum continentiam hesitantia suspendi: omnia & singula Priuilegia, libertates, & concessionem, quas obtinent, sub quacunq; verborum forma, &c. in omnibus punctis innovamus.*

Jagello  
prope Czer  
vviensko,  
An: 1422-



*nouamus.* Et alibi idem ipse Vladislauus, omnes Ecclesias, in omnibus earum iuribus, immunitatibus, ac distinctionibus antiquis, quibus temporibus Dominorum, *inquit*, Prædecessorum nostrorum, fruebantur, conseruamus: ibidemq; omnes consuetudines, tempore Casimiri Regis, & aliorum, per Spirituales obtentas, approbat. Quo quidem Priuilegio, omnes Iaroslai & Bodzantæ legis clausulas, atque partes confirmatas, liquidò patet. Siquidam nullæ aliæ eiusmodi distinctiones ( vt cum Iagellone loquar ) metæ, puncta, in Statutis Casimiri, si has exceperis, extant. In eandem fermè sententiam, Ioannes Albertus ait se confirmare omnia Ecclesiæ iura, tam ordinaria, quàm extraordinaria, decisiones & arbitria, per quascunq; personas facta, & data. Quibus verbis clarissimè indicat se leges has, quas Bodzantæ & Iaroslai dicis, approbauisse. Iam verò quòd contendis, etiam si hæ leges legitimæ habeantur, nulla tamen ratione vniuersos obligare; quoniam Bodzantæ lex inueniatur, qua innuit Nobiles pendisse Decimam liberam, alios verò illiberam, nescio quale sit; nec ego tale statutum reperio vsquam. Vocem quidem ( illiberam ) inuenio in eodem Casimiri & Bodzantæ Decreto; ex ea tamen Nobiles liberas & arbitrarias soluisse Decimas, sanè non colligo. Hæc enim Decreti verba sunt: *Item decreuimus: quod ubicunq; aliquis Nobilis, alteri Nobili sibi æquali, hereditatem suã obligauerit, & creditor agros coluerit,*

In Iedna,  
& postea  
Cracouia,  
Iagello an-  
no 1431.

Ioannes  
Albertus,  
An: 1501.

In Statutis  
fol: 56.

*coluerit, in ea Decimam frugum de agris suis soluat illi Ecclesia, cui is, qui obligauit soluere, conseruat ab antiquo. Ita illud haud scio, an queas ostendere, quod de Iaroslao ex Cromero refers, in eius nimirum lege formulam hanc inueniri; vt qui agri à Iaroslai temporibus primum coli cœpissent, illi à Decimis pendendis prorsus liberi haberentur. Neq; equidem mihi queo persuadere tale quidpiam extare, cum Iaroslai lex, quæ in Statutis inuenitur, de omnibus in vniuersum agris decernat: & ea perpetua fuerit consuetudo, vt ex omnibus agris, nullo discrimine, Decimæ soluerentur. Est igitur hæc tua, calumniator, excogitata ad veritatem labefactandam inuentionio. Casimiri interim sanctio firma, fixaq; manet, & à tuis calumnijs tutissima. Nunc superest, vt, quoniam Vladislai quoq; Jagellonis Decretum conuellendum tibi suscepisti, id quibus fretus rationibus facias, disquiramus.*

### C A P V T VIII.

*Vladislai Jagellonis sanctionem, de Decimis, legitimam esse, nec à Ludouico, aut Sigismundo Augusto, abrogatam.*

**M**ulta sunt cauillationum tuarum, calumniator, capita, quibus huius auctoritatem legis infringere niteris, sed inania ita, & friuola omnia, vt nullo negotio refellantur. Cum enim ita disseris:

Ludoui-

[Ludouicus Rex, ab omnibus contributionibus, censibus Regijs, Nobilitatem Polonam antea fecit immunè; non potuit ergo Iagello successor eius, priuata auctoritate, Nobilitatem nouis contributionibus onerare.]

Respondeo tibi: Decimas contributiones non esse, ac multò minùs nouas contributiones; vtpotè, quæ vnà cum fide Christiana in Polonia coeperint. ac Ludouicus, Decimarum ne verbo quidem meminit, Nobilitatem autem Polonam, à tributis solùm facit immunem. Hoc autem quid ad rem? ab ijs enim nobilitatem liberam facit, à quibus ipsi potestate Regia licuit: à Decimis neq; liberat, neq; liberare quidem potuit, cùm id ad ius Diuinum pertineat, & ante eum Mieczyslai, Boleslai, & Casimiri Magni, leges extiterint, quibus vniuersi ad Decimarum solutionem, asstringerentur. Cùm rursus

Ludouicus  
an: 1374.  
fol: 49.

[Ordines sub Sigismundo Augusto, narras, Priuilegiũ à Iagellone datum, arte atq; precibus extortum iudicauisse, & proinde id ipsum abrogauisse,] impudenter, pacetua dixerim, mentiris. Vbi enim tale Ordinũ extat de Iagellonis Priuilegio iudicium? Vbi quoque sanctionis ipsius abrogatio? Illud solùm quibusdam importunè flagitantibus, Sigismundus annuit, ne Capitanei exequi tenerentur, quod Ecclesiastici in eos statuerent, qui Decimas non soluissent; verùm & hoc vniuerso Clero repugnante, & reclamante. Quod proinde & inique factum, & contra leges sancitum, nullam vim legis obtinere potuit, vt antea pluribus demonstraui. Ne illud memoriẽ,

Capite 3.

1565.

hoc quoq; Decretum qualecunque, ab eodem potestea Sigismundo fuisse antiquatum. Cùm etiam [illos solos Priuilegio Jagellonis notari, ais, qui Decimas rapuerunt, non autem eodem definiiri Decimas ex agris Nobilium, ad Ecclesiasticos iure pertinere:] ipsius Priuilegij verbis te refello. *Quicumq; Princeps, inquit Jagello, seu Capitaneus, Baro, aut Nobilis, &c. Decimas (quas sibi Deus in signum vniuersalis domini, pro alimento seruientium, reddi censuit) rapuerit, inuasit, &c.* Iure enim Diuino, Decimas ad Ecclesiasticum Ordinem spectare, lex dicit: à quo Nobiles sanè non magis quàm plebeij, (cùm omnes constringat æquè) excipiuntur. Vt autem alijs verbis rem totam lex exprimeret, nulla planè erat necessitas, cùm ex Nobilium numero, prorsus nemo, Decimas deberi Clericis, inficiaretur: etsi quidam, alieni cupidiores, easdem per summam iniuriam sibi vendicarent. Cùm deniq; ais, [in Priuilegio commemorari Castra, Villas, possessiones Ecclesiæ, & proinde non in Secularium, sed Ecclesiasticorum bonis, Decimas intelligi debere,] fraudulentissimè, & malitiosissimè calumniaris. Priuilegij enim ea est formula, vt primùm eos qui Decimas rapiunt, tum autem & eos, qui domos, villas, castra, &c. ad Ecclesias, piàque loca spectantia inuadunt, castiget. Quin & in hoc ipse tibi, ò bone, contradicis. An non tua illa initio huius disputationis, sunt verba: [Jagello precibus & persuasionebus victus, literas dat Clericis, quibus Decimas in suo Regno exigēdas, permittit.] Oportet, iuxta prouerbiū, mendacē esse memorē. CA-

## CAPVT IX.

*Decimas Ecclesiastico Ordini iure deberi, ex  
vetustissimis Regum Poloniae diplomatibus: ex Regum  
ipsorum exemplo, qui ex bonis suis semper Decimas  
dependerunt: ex ipso deniq; Præscriptionis iure,  
manifestum esse.*

**I**vre ergo naturæ, Diuino & humano, ab vniuer-  
sis Poloniae proceribus, in volumine Statutorum  
probato, & recepto, Decimæ Ecclesiastico debentur  
Ordini: vt ex Diuinis literis, grauissimorum Scri-  
ptorum testimonijs, vetustissimarumq; legum au-  
ctoritate demonstrauit. Nunc autem, quoniam, &  
alia suppetunt argumentorum genera, quibus De-  
cimarum æquitatem stabiliamus, & ipsa quoq; cõ-  
prehensa paucis proferamus. Illud autem primum  
sit, quòd vetustissima extent Priuilegia, Ecclesijs sin-  
gulis propria; ex quibus constat Clericis, statim cū  
ipsa Christiana Religione, ius Decimas accipiendi  
fuisse tributum. Et quidem primò Archiepiscopum  
Gnesnensem Decimas habuisse, antequam Casimi-  
rus, vocabulo iustus, Poloniae Dux esset, ex Priuile-  
gio Institutionis, vetustissimæ Abbatia Suleiouiën:  
ostendi potest. Boleslaus enim Dux, cognomento  
Pudicus, in diplomate suo, confirmat & recitat di-  
ploma Aui sui, Casimiri Iusti, in quo sub finem hæc  
clausula inuenitur: *Sciendum deniq; quòd Dominus  
Petrus Gnesnensis Archiepiscopus, huius sancti operis co-  
adiutor,*

Boleslaus  
Pudicus,  
an: 1202.

An: 1176.

adiutor esse cupiens, Diuina instinctione, & in ea ex Fulconis Crac: Episcopi petitione, Decimam de Silio, cū pertinentijs suis; Decimam de Belai, de Lānczno, de Mileiow & Stampitz, de Sbilow & Domocelanes, contulit eisdem Fratribus. Ecclesiam quoq; de Baldricow, cum Decimis; Decimam de Standow, de Cheuam, de Pasturow contulit, & Sigilli nostri & sui, & Fulconis Episcopi Crac: munimine roborauit. Istæ porrò villæ, aut sanè ex eis pleræq; , Casimiri Ducis erant, vti ex eodem Priuilegio colligitur. Archiepiscopus nihilominus in eis Decimas possidebat, quas Fratribus, petente Fulcone Crac: Episcopo, est elargitus. Hoc idem de Decimis, Cleri reliqui, ex antiquissimo Priuilegio institutionis Abbatix Wangrouecensis, à Sbilutho Ciue Poloniæ, coram Messicone Duce, colligi potest, in quo hæc clausula sub finem subiicitur: *Et hæ sunt villæ, quarum Decimæ attinent B. Petro; Bartozega, Slozim, Bukoue, Dambroniki, &c.* Et deinde: *Igitur si quis hæc violauerit, anathema sit.* Venceslaus etiam Rex Boëmiæ, Dux Cracou: & Sendom: omnes fundationes Ecclesiarum, Monasteriorum, Decimasq; , nominatim suo Priuilegio stabilit, atq; roborat. Casimirus quoq; Magnus, in singulari ac præcipuo quodam Diplomate, Ecclesiæ Gnesnensi concessio, de Decimis ita decreuit: *Adiucimus decernentes, quòd milites non impedian, nec prohibeant, in grandijs Villanorum suorum, venditionem liberam Decimarum, ne propter hoc Deus prouocetur,*  
*cum iuxta*

Ann: 1153.

Ann: 1291.

Casimirus  
Magnus,  
1337. Crac.

*cum iuxta ius naturale, liberum esse debeat, de re propria disponere, prout placet. Iure ergo naturæ, si Casimiro credamus, Decimæ ad Clerum spectant. Et infra: Etiam declarantes adijcimus, quod sicut Gnesnensem Archiepiscopum, & suam Ecclesiam, inuenimus in possessione & perceptione telonei Decima septimanei, in infra scriptis locis, & Ciuitatibus nostris, videlicet, in Chalicz, in Piotricouia, in Siradia, &c. ita eos volumus remanere perpetuò, in perceptione huiusmodi Decima septimanei telonei prædicti, pacifice, & quietè. Idè etiam ipse Rex, postmodum concordiam iniit, perpetuò duraturam consilio Baronum terræ Poloniæ, cum Iaroslao Gnesnensi Archiepiscopo, de Decimis, de Maldratis, Fertionibus, ex Terris Poloniæ & Laricitæ, ad Clerum spectantibus, aliaq; complura laude dignissima, decreuit. Testis & vetustissimæ Decimas pendendi in Polonia consuetudinis, est Innocentij II. Pontificis (qui post Christi fidem in Polonia receptam, annum circiter centesimum & trigessimum vixit) Bulla, Anno Incarnationis Dominicæ 1136. Pontific: Innocentij Anno 2. edita; in qua iam Diœceses in Polonia constitutas, & præsertim Gnesnè: cum bonis Ecclesiæ eidem attributis, nominatim commemorat, & Decimas manipulares cuiusuis generis, etiam ferri, plumbi, pellium, mellis, &c. quæ ad Ecclesiam Gnesnè: spectabant, & antea persoluebantur recenset, ipsasq; suo quoque Diplomate roborat, & confirmat. Quam quidem*

In Privilegio,  
Dat: Posnaniæ,  
1360.

Bullam

Bullam approbat, & se vidisse testatur Casimirus Magnus Rex Poloniae, in suo illo Priuilegio, Crac: Anno Dñi, 1357. dato. Atq; ita in eorum bonorum & Decimarum possessione, & vsu, à prædicta Bulla, Ecclesia Gnesneñ: fuit. Quæ Bulla, cùm centum circiter annis, post fundatam in Polonia Religionem, promulgata fuerit, nimirū planum omnibus, testatumq; facit, Decimas, à plantata in Polonia Religione Christiana, Clericis orthodoxis deberi: eademq; bello Saladini esse antiquiores. Testis quoq; est & alia Eugenij III. Bulla, qua donationem factam Wernerō, Vladislauiensis Episcopo, Castri Gdańsk, in Pomerania, cum Decima, tam annonæ, quàm omnium eorum, quæ de nauibus soluuntur, ratam, legitimamq; decernit. Testes innumeratæ aliæ sanctiones, ac diplomata, vetustissimorum tum Poloniae Principum, Przemislai Ducis Poloniae, Boleslai, Samouiti, Boleslai alterius, Casimiri, aliorumq; Masouiae Ducum, ac Ludouici Hungariae & Poloniae Regis, aliorumq; Poloniae Regum recentiorum: tum Romanorum Pont: Ecclesiae Cracouiensi, Vladislauensi, Posnaniensi, Plo-censi, alijs concessa, quæ breuitatis studio, volens atque lubens prætereo. Vnum tantum hîc apponam Sigismundi I. scriptum, quod ad Prussos de Decimis, Episcopo Vladislauensi pendendis, misit, sapiens planè ac religiosum.

Bellum Saladini, circa annum D. 1190.

Euge: III.

An: 1148.

in lib: Priuileg: Eccl'es: Vladisl: fol: 57.

An: 1252.

An: 1297.

in Socha-czeuo.

An: 1300.

Bude, 1385.

24. Ian.



## SIGISMUNDVS REX;

Ad Confiliarios Terrarum Prussiae, de Decimis Episcopo Vladislauensi pendendis.

**M**agnifici & Generosi, sincerè nobis dilecti. Accipimus literas vestras, quibus nescimus, prolixenè magis, an indignè, nobis, cum aduersus Decretum nostrum, quod de soluendis Decimis Episcopo Vladislauensi, Anno superiore, iustè & equanimiter tulimus, respondetis: idq̄ agitis, docentes nos, quasi nouum aut desultorium Christianum, de lege gratia, de sublato Sacerdotio Leuitico, de non contribuendo Pastoribus, nisi pascant, & alijs tritis iam Apostatarum cantilenis: non temperantes interim ab aculeis in summum Episcopum & Pastorem: vnde vehementer miramur, quæ est ista noua Christiana ratio. Quia per legem gratia, quæ tantum legi iram operanti contradicit, per libertatem Euangelicam, quæ solum seruituti peccati opponitur, duplex, idq̄ ingens peccatum, aduersus Diuinas & humanas leges, committitis: Alterum, non reddendo proximo suo, atq̄ adeò Pastori, quæ sua sunt: Alterum, literis & Decretis Principis sui non parendo. Si per legem gratia, liber est populus à soluendis Decimis, quæ ministris Dei debentur, eadem lege liber erit à soluendis tributis, quæ alijs ordinibus & potestatibus debentur. Nam lege gratia, omnes pariter Christiani in vnam libertatem sunt

asciti. Si ob hoc, quod sublatum est, sacerdotium Iudaeorum, non plus habeant sacerdotij Christiani Sacerdotes, quam id quod commune est omnibus, neq; illis suos prouenus debetis: pari ratione abolito Regno Iudaorum, Christiani non plus erunt Reges, quam ceteri Christiani. Nam per legem gratia, omnes ex aequo Regale sacerdotium esse censentur. Quod si Christiani Principes, Decimas & prouentus successoribus Apostolorum non recte contulerunt: minus recte Apostolis ipsis primi illi Christiani, precia bonorum suorum omnium conferebant. Si nefas est, Pontificem ob non redditas Decimas populum excommunicare: maius erit nefas, quod Apostoli, ob negatam pecuniam, Ecclesiae dicatam, utraq; morte condemnabant. Si non pendendum est Pastori, nisi pascat, & doceat: non pendendus erit etiam à plebe suus census, Ordini seu statui militari, nisi militet, & populum Dei tueatur. Si deniq; non sunt valida dotes & Privilegia, Maiorum & antecessorum nostrorum, Ecclesiasticis collata: cuius erunt firmitatis illa alijs Ordinibus, sub paribus signis, pari atramento & pelle, concessa. Atq; ha sunt illae Evangelicae rationes, quae nunc orbem terrarum, seditionibus, tumultibus, periurijs, & sacrilegijs, implent. Graui igitur & molestissimo animo ferimus, quod aduersus Decretum nostrum, tales literas, tabulis impijs dogmatibus consutas miseritis, quae non solum indigna sunt auribus nostris, & ab uniuersa Ecclesia Catholica damnata: sed etiam à nobis, & ab ijs Christianis Principibus, publicis edictis vetita: & pro-

inde de-

*inde denunciamus vobis hanc immutabilem sententiã,  
& voluntatem nostram, quod Decretum ipsum nostrũ,  
iustè & legitimè latum, nulla ex parte mutaturi, neque  
Dominum Episcopum, & iura ipsius, nostro debito pa-  
trocinio deserturi sumus. Et si in ea contumacia perseue-  
rare volueritis: Nos id, quod ad iustum & Christia-  
num Principem attinet, exequemur. Datum Petrico-  
uia, decima Ianuarij, Anno Domini, 1528.*

Atq; hæc omnia sunt huiusmodi, vt, si nihil in  
Statutorum volumine de Decimis extaret, satis su-  
perq; Decimarum æquitatem comprobent, adeòq;  
seculares astringant, vt easdem studiosè diligenter-  
que dependant. Alterum, pro Decimarum æquita-  
te, argumentum illud sit, quod ex Regum omni-  
um desumitur exemplo. Constat enim omnes, qui  
hactenus vixerunt Reges, adeòq; ipsum postremũ,  
omniq; memoria dignum, Stephanum, ex agris  
suis Regijs Decimas Clero dependisse; & decreuisse  
non semel, vt ex iure (quod terrestrè vocant) li-  
quet, etiam post intermissam iurisdictionem, vt De-  
cimæ ab alijs dependerentur. Quorum & exempla,  
& Decreta, ac Mandata, quæ dicunt, etiam Sigif-  
mundi Augusti, Episcopis, & Capitaneis data, tan-  
tum valere, vt subsequuta sit eorundè perpetuò exe-  
cutio, donec maledictum compositionis nomen,  
iustitiæ cursum retardauit. Inficiari non potes. Hoc  
autem ipsorum factum est eiusmodi, vt ex eodem,  
& legum interpretationem, nobilitatis vniuersæ au-  
toramen-

In Lucam.

toramentum, Decimarumq; persolueendarum obligationem habeamus. Quæ enim legis explicatio certior, Regis ipsius facto & exemplo, vim ipsam legis, non animo modò, sed oculis etiam ipsis obijciente? Quì etiam fieri potest, vt subiectorum bona, libera magis sint & immunia, Regis ipsius possessionibus? An maiores subditorum, quàm Principum prærogatiuæ? An possessiones à Regijs deriuatæ, à Regibusq; ipsis quæsitæ, præstantioribus, quàm ipsorum Regum fundi, Priuilegijs vallari, & muniri possunt? An is, à quo omnia emanant Priuilegia, solus iisdem careat? Quod igitur Rex sibi non vendicat, nullo modo sibi tribuere subditi possunt. Si enim (Ambrosius ait)  *census Filii Dei soluit: quis tu tantus es, qui tibi non putas esse soluendum? Non debet ei, cui quod minus est non licet, quod amplius est licere.* Cùm igitur, vt rem à capite arcessitam, Mieczius Rex, ex suis, subditorumq; possessionibus, Decimas pèdendas edicto perpetuo cauerit, ipseq; & posteri, easdem persoluerint; nulla ratione ab eorum autoramento, ij, qui in eorundè ditione & potestate sunt, immunes esse queunt. Quinimò, etiam si de Decimis nulla omninò extaret lex, Regis ipsum factum, loco legis habendum esset. Ea est enim omnium gentium, ac inprimis Poloniae consuetudo; vt vbi lex scripta deest, ad exempla Maiorum, ac Regum, maximè recurratur, ab iisdemque quid statuendum, ac decernendum sit, in dubijs & ambiguis

ambiguus accipiatur. Tertium ex ipsa præscriptio-  
 ne firmissimum est sumere argumentum. Legibus Casimirus  
Magnus  
Villicia.  
 Regni sancitum est, triennij rei cuiuspiam possessio-  
 nem sufficere, vt quis nequeat rei possessione dimo-  
 ueri. Ecclesiastici autem non iam trium annorum  
 spacio, sed ab ipso Christianæ religionis principio,  
 Decimas in Polonia possederunt; ac in præsentia,  
 vbi æquitas locum habet, possident: nemo igitur  
 nisi iniuria easdem subtrahere, aut vsurpare potest:  
 maximè cum ipsa præscriptio tot roborata legibus,  
 tot vallata Priuilegijs existat. Vt tu hoc loco iure  
 falsitatis arguaris, qui hanc Decimarum pendenda-  
 rum consuetudinem, ex libera hominum volunta-  
 te, non autem ex necessitate legis profectam com-  
 minisceris: in eo etiam meritò reprehendaris, quod  
 adeò iuris imperitus sis, vt nescias, vel ipsam con-  
 suetudinem præscriptione roboratam, vim legis a-  
 pud omnes gentes perpetuò obtinuisse.

## C A P V T X.

*Decimas non deberi Ministris hæreticorum,  
 propter Confæderationem, vt fingit calumniator:  
 Confæderationem autem nullam esse in Polo-  
 nia legitime factam, ac ne fieri quidem  
 posse.*

**A** Nimaduertes tu, opinor, calumniator, quam-  
 uis id dissimulare, quam fateri malueris, mani-  
 festius.

festius esse Decimas Ecclesiastico Ordini deberi, quàm vt negari, nisi impudentissimè possit. Quare id tandem & ipse, quamuis timidè, confiteris, illudque peroptas solùm, vt ministris tuis hæreticis potiùs quàm Clero Catholico dependantur. [Maiores, *inquis*, nostri non aliam ob causam, Decimas pendebant Sacerdotibus, quàm ob sacrorum communionem. Cur ergo nobis non liceat eis Decimas dependere, quorum Dei colendi præscriptum & doctrinam sequimur, suadente conscientia? An non hoc iam liberum cuique, sùm liber cultus permissus sit religionis?] Et ad extremum permolestè fers, Catholicos in Comitijs eam conditionem abnuisse. Itanè verò? Ministris ergo decimas dependere vultis? & Christi aduersarijs, Christi hæreditatè, à legitimis possessoribus ereptà, tradere? Quo iure? Qua nixi consuetudine? Ego sanè in vniuerso Statutorum volumine, legem nullam descriptam inuenio, quæ id decernat, ac multò minùs vllius, apud quemcunq; Historicum consuetudinis mentionem, quæ Decimas Ministris dependi suadeat. Si quæ autem de hæreticis extant leges, vt sanè sunt complures, ea nulla ijsdem decernunt præmia; sed eos proscribunt potiùs, eorumq; bona omnia fisco addicunt: & Diuinæ literæ hæreticis nõ mercedem aliquam, sed pœnas vbiq; ac supplicia proponunt. Vt vel hinc conijcere possis, quid tuis ministris debeat. Adhæc Decimas, Mieczyslaus, Boleslaus, Casimirus Magnus, Reges cæteri, vniuersa deniq; Nobilitas, non Ministris ad Regnorum interi-

Wladislaus  
Iagello in  
Wielun.  
fol: 77.  
Confœderatio Prin-  
cipum in  
Korczyn,  
An: 1418.  
fol: 76.

interitum & euerfionem natis, sed fui similibus; id est, Catholicis Sacerdotibus, alendis & sustentandis, reliquerunt. Vt iam minimè fas tibi sit, alienum tuis ministris tradere. De libero cultu religionis permissio, quod ais, mendacium est. Nunquam enim, alia in Polonia, præter Catholicam, probata & recepta est. *Confœderatio enim, bona nobilitatis parte, ac Clero vniuerso reclamante, per vim & fraudes, tum in Augusti Interregno, tum in postrema Ordinum Convocatione, introducta est.* Et proinde, aduersus veteres Principum contra hæreticos conspirationes, & Confœderationes, & sacratissimas Regni leges, (quæ omnium Ordinum consensum ad aliquid faciendū requirunt, & nihil in Comitij tractari volunt, quod Nuncijs à Nobilitate in mandatis datum non fuerit) nisi omnia violentur ac imminuantur iura, valere nequit. Sed præstat Confœderationes ipsas, legesq; aduersus hæreticos latas, hâc adscribere. Sic igitur Ordines Regni in Korczyn, cùm hæc præfati fuissent: *Nos Principes, Spirituales & Seculares, Barones & Comites, Proceres, Milites, Nobilitas, Ciuitates, totaq; Communitas Regni Polonia, singulariter singuli, & vniuersaliter vniuersi, eodem animo, eadem voluntate, scientia, assensu, & ratihabitione: omnes vniuersimiter decernimus, & significamus tenore presentium, &c. quòd quicumq; existat indigena Regni Polonia, &c. vellet aliquas inobedientias contra ius terrestre, committere, &c. aut etiam hæreticales errores facere, vel*

*promo-*

Alexand.  
in Radom.  
fol. 265.

An: 1438.  
die 3. Martij.

promouere: contra talem, siue tales, cuiuscunq; status, gradus, conditionis, & præeminentie fuerint, siue Spirituales, siue Seculares, & in eorum destructionem consurgere volumus, & promittimus, sub fide & honore nostris, absq; dolo & fraude: nec ipsis auxilio, vel fauore, patrocinari volumus, sub fide & honore nostris; etiamsi sanguine, affinitate, & quacunq; propinquitate fuerint nobis, aut alicui nostrum coniuncti: nec pro eis loqui volumus aliquod verbum, sed eos, & eorum quemlibet talem punire volumus, & promittimus. Atq; hæc illi, & Christianissimè, & sapientissimè. Quàm verò dissimiliter isti, qui vel in Augusti Interregno, vel nuper in Conuocatione, Confœderationem architectati sunt? Libet enim alteros cum alteris conferre. Illi: Nos Spirituales & Seculares. Hi: Nos Seculares. Constat enim Ecclesiasticum Ordinem vniuersum, impiæ huic conspirationi refragatos. Illi: Quicumq; hereticales errores facere, vel promouere vellet, in eorum destructionem consurgere volumus. Hi: Omnes in sua religione quietos sinemus. Illi denique: Nec pro eis loqui volumus aliquod verbum, sed punire promittimus. Hi: Eos defendemus ac tuebimur, ac si qui ipsis fuerint impedimēto, quo minus hæreses suas liberè, licenterq; disseminēt; ij grauissimis afficientur poenis. Quæ tamen omnia talia sunt, vt satis ostendant hanc Confœderationē priori illi contrariam ac repugnantem, non tam Cōfœderationem, quàm impiorum aduersus Dominū, & aduer-



& aduersus Christum eius, conpirationem esse: ac proinde eiusmodi, quæ nullum in Regno, optimis firmato legibus, locum habere debeat. Sed non fuit hæc sola Principum in Polonia Catholicorum, contra hæreticos Confoederatio, quin & eam alia haud dissimiles antecesserunt, & vna Masouia Ducis cum suis, contra Lutherum est subsecuta, quas breuitatis studio prætermitto. Iam verò leges præstantissimorum Poloniae Regum, contra hæreticos latae, innumeræ propemodum inueniuntur. Adscribam paucas. Vladislai Iagellonis sanctio est: *Maturato consilio Prelatorum, Principum, ac Baronum nostrorum, habito & consensu, presentibus decernimus, & pro firmo, constanti, & pro irrefragabili edicto teneri præcipimus: Ut quicumq; in Regno Poloniae nostro, & terris nobis subiectis, hæreticus, aut hæresi infectus, vel suspectus de eadem, fautor eorum vel director repertus fuerit: per nostros Capitaneos, Consules Ciuitatum, & alios Officiales, ac quoslibet subditos nostros, siue in officijs, siue extra viuentes, velut Regiæ Maiestatis offensor capiatur, & iuxta exigentiam excessus sui puniatur.* Ac mox grauissimæ subiunguntur poenæ decretæ, in eos Regno Poloniae subiectos, qui ad tempus præscriptum ex Boëmia non redirent. Idem quoq; ipse Iagello, Dignitarios, quos vocant, statuit non esse eligendos alios, quàm qui fuerint Catholici, & Romanae Ecclesiæ obtemperantes: *Nec etiã,* inquit, *aliqua officia terræ perpetua, ut sunt, Dignita-*

Varzauiz  
in Comit:  
An: 1520.

In Wielus,  
1484.

Fol: Stat:  
126.

tes, Castellanus, &c. obeant; quia sæpè diuersitas cultus diuersitatem inducit animorum. Ac ad extremum concludit: Omnes libertates, gratias ( verba decreti sunt ) illis tantummodo concedi, qui sunt cultores Christianæ Religionis, Romanæ Ecclesiæ subiecti. Sigismundus I. huius insistens vestigijs, plurima & sapientissimè, & sanctissimè, in eandem sententiam decreuit. In hæc enim verba Torunij legem, sanciuit: Manifestum facimus harum serie literarum, quòd intelligentes, ad Regnum & Dominia nostra, inferri nonnullos libellos cuiusdam fratris Martini Lutheri Augustiniani, in quibus multa continentur, tam contra Sedem Apostolicam, quàm etiam in perturbationem communis Ordinis, & status rei Ecclesiastica, & religionis. Cum enim in Regno nostro, ex huiusmodi scriptis, errores aliqui pullularint, officij nostri, ut Christiani Principis, & fidelis filij sanctæ matris Ecclesiæ, esse duximus, ut autoritate & potestate nostra Regia, huic cæpto noxio resisteremus. Mandamus itaq; vobis omnibus subditis nostris, & cuilibet vestrum seorsim, ut nemo deinceps audeat talia opera, ut præmissum est, in Regnum, & Dominia nostra inferre, vendere, aut illis uti; sub pœnis confiscationis bonorum, atq; exilij: quas unusquisq; mandatum nostrum transgrediens, sine ulla excusatione, tam ignorantia, quàm alterius causa subibit. Et Cracouix hæud dissimiliter: Nos pro officio Christiani Principis, eam ipsam religionem, à SS. Patribus ordinatam, ac per sanctam Ecclesiam Romanam directam,

Torunij,  
11520.

Cracouix,  
11523.

directam, nobisq; à Maioribus nostris per manus traditam, ac per nos quoq; & gentes nostras, multo sanguine, & clarissimis gratia Dei victorijs hæctenus defensam, à labe hæretica his temporibus in vicinia emergente, integram ac immaculatam, in Regno ac Dominijs nostris conseruare volentes, publicis edictis mandauimus, & c. ne qui dogma ipsum pestiferum, ac iam pridem damnatum, approbare, profiteri, vel tueri audeat, sub pœna capitis, & confiscationis bonorum omnium, & c. Eiusdem quoq; Edictum extat, contra religionis innouatores, grauissimum, & seuerissimum: Audimus, inquit, permultos esse in Regno nostro factiosos, & nouandarum rerum cupidos homines, qui sectas ab orthodoxis Patribus, in vniuersalibus Concilijs reprobatas, non in occulto saltem sectantur; sed & publicè profitentur, & disseminant: non sine contemptu piarum sanctionum, à sancta Catholica Ecclesia institutarum, & receptarum, atq; Edictorum nostrorum. Esse item non paucos, qui liberos propinquos, & affines suos, Wittebergam mittunt, ut illic mox ab ineunte atate, priusquam nouerint malum à bono discernere, pestifera dogmata, ab ipso Luthero, qui horum malorum caput est, imbibant, & postea in Regno nostro diffundant, & propagent. Quæ res quàm feliciter vicinis circum circa Regionibus ceciderit, nemini obscurum est. Videmus enim luce meridiana clarius, quanta seditiones, quanta cedes, bonorum direptiones, & quanta rerum omnium perturbatio, quanta pietatis ruina, quanta deniq; hone-

Anni 354.

statis euersio, ex his iniurijs excitata sit. Quod ne nobis quoq; & subditis nostris, unquam usu veniret, canimus aliquoties edictis nostris, grauibus pœnis in transgressores constitutis. Et infra: Quod attinet ad eos, qui apud Lutherum, vel apud quoscunq; alios factionum istarum principes, vitam degunt; ijs omnem aditum, ad quasuis Dignitates & Magistratus, praecludemus in posterum. Deniq; Cracouiæ, ne violari, aut immutari religio in Polonia posset, hanc quam subiungimus, æquissimam sanctionem condidit. In eo cum Consiliariis nostris, & Nunciis terrestribus, conuenit nobis, ut liberum sit unicuiq; nostrorum subditorum de Regno nostro exire, ad quamcunq; Regionem vellet, videndi, seruiendi, & se in bonis moribus, ac honestis disciplinis, exercendi causa, & propter bonas literas ab Ecclesia admissas: alioqui, si quis rediens ex aliena Provincia, qualescunq; nouas doctrinas, aut libros propagare, subministrare, & uti illis vellet; is iuxta antiqua Iura, & Priuilegia Regni, debet se iustificare. Quin & Sigismundus Augustus, optimum ac sanctissimū Parentem imitatus, complura contra hæreticos edicta composuit. Quorum primum, quod quidem sciam, illud est, quod ad Andream Comitem à Gorka, Generalem Capitaneum, misit, quo Picardos, exules in Boëmia & Morauia, grauissimis propositis pœnis, Regno excedere iussit. Alterum est, quod Wilnæ non ita diu post edidit, cuius illud est exordium: *Perfertur ad nos, Picardorum, Boëmorum, Anabaptista-*

Cracouiæ,  
1543.

Pofnaniz,  
1550. ex  
Actis pub.

Wilnæ. an.  
1556. 2.  
Martij.

*baptistarum, Sacramentariorum, Lutheranorum, & aliorum hæreticorum, praua dogmata palam predicari.*

Warszau:  
1556.

Tertium huic persimile, quod anno insequēti, Warszauiæ, omnium Ordinum consensu, scripsit: cui & literas ad Capitaneos, ac Ciuitates, adiunxit, quibus Mandata sua contra hæreticos, & eorundem librorum Bibliopolas, vti exequerentur, præcepit. Quartum denique, instigante Iacobo ab Ostrorog, ad Comitatum internuncio, ac postea Poloniæ Maioris Generali Capiteo, aduersus Trinitarios, Anabaptistas, ac Arrianos, tulit; cuius tale est principiū: *Ex plerisq̄, tum veteribus, tum recentioribus, exemplis externis, nunc autem ex domestica hac nostra experientia apertè cognoscimus, consensu quidem ac concordia religionis, firmari Respublicas, &c.* Ac ad extremum, Vrbiū, Arciumq̄; præfectis, datis ad eosdem literis, mandauit, vt hoc hominum genus, ipsorum, opera Regno pelleretur. Quid, quod Poloniæ Reges, non solum homines priuatos, sibiq̄; subditam Nobilitatem, hæresim docere non permiserint; sed ne eos quidem, quos publica fide ad se vocauerant, quod hæretici essent, in Regno diutiùs morari permiserint? Extat huius rei clarissimum apud Cromerum testimonium (vt alia taceam) de Vladislao Rege; qui, cum apud Coributhum, Boëmis hæreticis comitatum, commemorauisset; quanta rerum omnium perturbatio secuta apud eos, ex mutata & perturbata religione esset, vt florentissimum quō-

Parczouei  
an: 1564.

Cromerus  
lib: 20.  
hist.

dam Boëmorum Regnum ad interitum properaret, sublatis Magistratibus, sacris iuxta ac profanis, euerfis Oppidis & munitionibus; cæsis, vel fuga dilapsis optimatibus; constupratis honestis Matronis, atque virginibus; profanatis, direptis, ac dirutis templis; abrogatis sanctissimis cæremonijs; sacrosancta religione contaminata; ac tam varijs, portentosis, & abominandis opinionibus discerpta, vt nemini propemodum cum altero conueniret: deniq; peruerso rerum omnium, atq; naturæ ipsius ordine: quæ omnia, ni maturè respicerent, præsens & extremū exitium consequi necesse esset: nec tamen quicquā homines pertinaces & peruiaces permouisset, Vrbe eos eiecit, propter solennes Paschæ dies. Sbignei autem Episcopi tanta fuit religio, vt ipsius interdicto cessatum à sacris sit, quoad illi Cracouiæ subsistere. Iam verò, cum hæ tot atq; tantæ sint optimorum Principum contra hæreses conspirationes, & Confoederationes; tam variæ quoq; ac multiplices, aduersus easdem sancitæ, leges; quis æquo animo ferat, nouam quampiam Confoederationem, veteribus illis prorsus contrariam ac repugnātem, iisdem anteponi? Cùm etiam hæ ritè, atq; ordine, ac, vt vno verbo dicam, summa omnium Regni Procerū voluntate, & consensione, confectæ sint; ista autem Clero vniuerso reclamante, ac bona nobilitatis parte, integrisq; Prouincijs refragantibus inita: quis vnquam patiatur illis abrogatis & antiquatis, hanc  
 vnam,

vnam, atq; solam apud omnes valere? Indigna, planè res, ac prorsus intoleranda, maximè quòd Confoederationem istam recentiore qualècunq; tam importunè efflagitent, non vt pax publica, vt prætexunt, firmetur, sed vt Catholica euertatur fides, ac Ordo Ecclesiasticus intereat vniuersus. Hoc enim ita se habere, ipsorum hæreticorum testantur facta. Nulli enim ipsorum, si paucos excipias, in suis, siue Oppidis, siue pagis, subditis suis Catholicam religionem permittunt: quòd hæreticos, Germaniæ atq; Angliæ, imitati faciunt. In quo tamen illud est indignissimum; quòd cùm suis ipsi libertatem cultus non concedant, eam tamen à Principibus, quibus subiiciuntur, sibi denegari molestissimè ferant. Adhæc, foundationes à Maioribus institutas conuelunt; Decimas, ac Ecclesiasticorum census, per vim rapiunt; solo æquant Deo sacrata templa; diripiunt Villas, ac sibi iniquissimè vendicant; Ecclesias Catholicorum vsurpant, contaminant, ac violant impuris suis ritibus & cærimonijs; Sacerdotes ædibus suis ac Parochijs eijciunt, Apostatas iisdem substitunt; in sibi deniq; subditorum, non corpora modò, sed & in animas ipsas crudelissimè sæuiunt, dum eisdem grauissimis propositis poenis, ad sua illa nõ iam tēpla, sed gurgustia compellunt. Quæ tamen omnia fieri minimè deberent, si vel ipsa qualiscunq; Confoederatio obseruaretur. Quid enim? An aliud in eadem, quamuis iniustissimè petunt, quàm vt libe-

rum re-

rum religionis habeant cultum ? Cur igitur liberū esse sibi subiectis nolunt ? An non vniciq; etiam Ecclesiastico homini, ius suum integrum manere se velle proclamant, beneficiaq; illæsa ? Cur ergo ius omne tollunt ? imò cur Ecclesiasticorum panē, Decimas, adeòque hoc facto etiam Ecclesiasticos tollunt ? Negabunt fortassis, hæc se in sua qualicumq; Confoederatione spondidisse. En ipsa Confoederationis verba : [ Nihilominus per præsentem, *inquiunt*, Confoederationem nostram, superioritati, & iurisdictioni in subditos, tam Spiritualium, quàm Secularium, minimè derogare volumus, neq; obedientiam cuiusquam subditorum Dominis suis destruiamus : quin imò, sicubi huiusmodi licentia sub prætextu religionis reperietur, liberum sit & nunc cuiq; Domino, in subditum suum inobedientem, tã Spiritualibus, quàm in Secularibus, pro arbitrio suo animaduertere. Item, vt omnia beneficia Iurispatronatus Regij, Prælaturarum, Ecclesiasticarum, vt potè Archiep: Episcop: & aliorum omnis generis, non alijs conferantur, quàm Romanæ Ecclesiæ Clericis indigenis Polonis, iuxta Statutum. Item, beneficia conferentur in suo statu, pro hominibus Romanæ Ecclesiæ indigenis, iuxta Statutum. ]

1533. Statutum autem Sigismundi I. vti & aliorum Principum, Decimas beneficijs annexuit. Et sanè qualia beneficia, Decimis subtractis, quibus ipsa beneficia tota nituntur ? Quæ ideo dixerim, ne per Confoederationem suam, Decimas rapere sibi licere putent. Ex his iam, opinor, liquet, Confoederationem hanc in Polonia hæreticam, quâ liber religionis cultus permittitur, nullius esse ponderis, eamque qua-



lemcunq; ab hæreticis ipsis violari. Quod sanè, si viri sapientes cum animis suis reputarent, neq; tam faciles ad hanc religionis libertatem sinendam, ac multò minus approbandam, forent. Maximè quod ita res se habeat, vt eandem adeò Diuinæ literæ ventent, vt nec permitti quidem possit ab Ordinibus, hic liber religionis, quem fingunt, cultus. Vetare autem quis ambigat? *Vnus enim Dominus, vna fides, vnum Baptisma*, inquit Apostolus; & proinde vnus omninò cultus: & ideo si præter eundem existat alius, non cultus, sed cultus est euersio, ac pernicies. Reprehensus quoq; est Angelus Pergami, quòd apud se haberet aliquos, tenentes doctrinam Nicolaitarum: & Angelus Thiatyræ, quòd permetteret Iezabel seducere seruos Dei. Diuinæ quoq; literæ, vbiq; Christianos declinare hæreticos iubent. *Hos, Paulus, deuota*, inquit. Et alibi imperat, *Ut obseruemus, ac fugiamus eos, qui serunt offensiones, & offendicula, præter doctrinam quam didicimus*. Et iterum: *Vtinam*, inquit, *abscindantur, qui vos conturbant*. Deniq; nec Angelum quidem ferendum censeat, si annunciauerit, præter id, quod est nobis traditum. *Nec Aue ei dixeritis*, Ioannes ait, *nec recipiatis in domum vestram*. Et Christus ipse: *Attendite vobis à falsis Prophetis*. Et: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi Ethnicus & Publicanus*. Quid, quod nec ipsi Iudæi, libertatem religionis permittere sine scelere potuerunt? Iubentur enim in Deutoronomio,

Deut: 17.  
Deut: 18.

occuldi ex sententia Iudicis, qui non obediunt Sacerdoti, & falsi Prophetæ exterminari. An forsan vilior abiectiorq; Ecclesia est Synagoga, vt libertas religionis in illa nõ fuerit licita, in hac omnibus cõcedatur, facultate quadam, seu potius licentia permiffa, omnia sacra polluendi & violandi? Indigna sanè res, & minimè ferenda, vt hæc tam absurda cogitatio, cuiquam Christiano in mentem veniat. Intellexere hæc olim optimi quiq; Principes Christiani, & cognouere hoc, Diuinas literas, adeòq; officij munerisq;, ipsorum rationem ab ipsis flagitare, vt ne religionis vllam libertatem permitterent. Quare primus Christianorum Imperator Constantinus, cum in Edicto plurima de hæresum incommodis differuisset, & hærefes vanitatem mendacijs intricatam, turpia malitiæ studia, venenata pharmaca, quibus sani ad infirmitatem, viuentes verò ad perpetuam mortem abducantur, alijsq; vocabulis nuncupauisset; concludens tamen: *Quid igitur?* inquit, *patiæmurnè huiusmodi malorum, contagionem longius serpere? præsertim cum longa dilatio faciat, vt sani ac valentes, ea tanquam pestifero morbo inficiantur? Cur igitur non cum maxima celeritate eiusmodi prauitatis, vt ita dicam, radices, animaduersione & pœna publica amputamus? Atq;, quo ista vestra pestis pernicies longius grassari impediatur, per hanc legem mandamus, ne quis vestrum posthac conuentus cogere audeat. Et propterea etiam iubemus, vt vniuersa ædes vestra, in quibus congressus illos celebrare consueuistis, penitus euer-*

Euseb. lib.  
de vita Cõ-  
stantini.  
cap: 62. &  
63.

*cantur: & hæc cautio eo vim suam porrigat, ut non modo non in publicis, sed ne in priuatis quidem aedificijs, aut in locis illis separatis, huius vestra superstitiosa amentia factiones cœant. Hunc securus Theodosius, eandem prorsus sustulit credendi libertatem, ac iussit omnes credere eo modo, quo Romanus Pontifex docet esse credendum. Eiusdem quoq; vestigijs insistens Martianus, seuerè prohibet, ne quis ea, quæ sunt in Concilijs Episcoporum definita, reuoluat, aut de ijs publicè disputare præsumat. Idem, & Valentinianus Iunior, Casimirus Magnus, Alexander, Sigismundus I. alij, cum laude obseruârunt. Patres autem nusquam non hæreticos deuitandos, ac ne si-  
nendos quidem tradunt. D. Irenæus contra Valentem scribens, postquam omnem cum iisdem consuetudinem improbauisset, id se ab Apostolis accepisse testatur. Tantum, inquit, Apostoli, & horum discipuli, habuerunt timorem, ut neq; verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adultauerant veritatem. Sanctus autem Cyprianus: Declinent, inquit, fortiter, & euitent, dilectissimi fratres nostri, verba & colloquia eorum, quorum sermo ut cancer serpit. Et infra: Nulla cum talibus commercia, nulla conuiuia, nulla colloquia misceantur, simusq; ab eis tam separati, quàm sunt ab Ecclesia profugi. D. Antonius nunquam, inquit Athanasius, Manichæis, aut alijs hæreticis, amicitiam verba largitus est, denunciâns talium amicitiam, atq; sermones, perditionem esse animæ. Sic etiam Arrianos detestabatur, ut omnibus diceret, nec iuxta eos quidem*

L. Cunctos  
populos.  
C. de sum-  
ma Trinitate  
& fid.: Ca-  
thol.  
C. Eodem.  
t. Nemo.

Lib: 3. c. 3.

Lib: 1. Ep: 3.

In vita An-  
ton.

esse accedendum. Et ipse Antonius iam moriturus :  
*Hæreticorum, inquit, & Schismaticorum, venena-  
 vitate, meumq̄ circa eos odium sectamini. Scitis ipsi,  
 quod nullus mihi, ne pacificus quidem, sermo cum eis fue-  
 rit.* Hieronymus illud Pauli ad Galat: exponens :  
*Modicum fermentum totam massam corrumpit ; Igi-  
 tur, inquit, scintilla statim ut apparuerit, extinguen-  
 da est, & fermentum à massa vicinia semouendum, se-  
 canda putrida carnes, & scabiosum animal à caulis oui-  
 um repellendum, ne tota domus, massa, corpus, & peco-  
 ra, ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant : Ari-  
 us una scintilla fuit : sed quia non statim oppressa est,  
 totum orbem eius flamma populata est.* Augustinus,  
 ut vitandum hæreticum non ambigit, *ne infirmos,  
 ac paruulos fallat ; ita non abnuimus, inquit, modus,  
 quibus possumus corrigendum.* Et in libris Retractati-  
 onum, reuocat, quod aliquando senserat, non esse  
 vi cogendos hæreticos ad fidem ; & pluribus id fore  
 vtilissimum ostendit. Et ne omnes recenseam or-  
 dine, idem de religione alia à Catholica non permit-  
 tenda, Athanasius, Optatus, Leo, Gregorius, Ber-  
 nardus, alij, scripsere. Quid ? quod non perfidiam  
 modò hæreticorum ( religionem enim pudet dice-  
 re ) non putauerint permittendam, ipsosq̄ hæreticos  
 impunitos relinqui oportere ; sed ne libros quidem  
 ipsorum extare voluerint, ipsos Apostolos imitati,  
 qui libros curiosos & vanos inflammârunt. Hinc  
 Concilij Nicæni Patres, Arij libros igni adiudicârunt ;  
 & Con-

Galat: 5.  
 Hieron: in  
 cap: 5. ad  
 Galat.

Epist: 62.

Lib: 2. c. 5.  
 & Ep: 48.  
 & 50.

Apol: 1.  
 Lib 3. con:  
 Parmen. E-  
 pist: 91.  
 ad Turib:  
 cap: 1. Li: 1.  
 Ep: 72. Ser:  
 66. in Cat.

A&: 19.  
 Nicephor:  
 lib: 3. c. 18.

& Constantinus, pœna capitis proposita, si quis eodem occultauiſſet, iudicium ſuo Decreto roborauit. Epiphanius, Synodo in Cypro coacta, vetuit libros Origenis legi. Synodus Carthag: IV. ijs, qui Episcopi non fuerint, interdicit hæreticorum librorum lectione. Ephesinum Concilium, Nestorij libros vetuit. Theodosius Imperator, vetitos exuri iussit. Idem de Eutychetis scriptis censuit Synodus Chalced: Valentinianusq; & Martianus, decreuerunt. Idem deniq; & Concilium V. & Iustinianus Imperator, de libris Anthymi statuere; alij Patres, aliæq; Synodi, de alijs, quas breuitatis gratia prætermitto. Hæ tamen omnes, siue Synodi, siue Patres, siue deniq; Imperatores, satis indicant, hunc, quem narras, liberum religionis cultum, nullum apud Christianos locum habere debere. Et sanè recta id ipsum suadet ratio. Est enim credendi, vt libet libertas, ipsius religionis Christianæ certissima pernicies. Nam cum vna fides sit, vnaq; , quæ eandem tenet, Ecclesia: hæc credendi licentia facit, vt in varias partes distrahatur, ac discerpatur; &, vt verbo dicam, vt fides, ipsaq; Ecclesia, penitus intereat. Quod olim intelligens Iulianus Apostata, acerbissimus Christiani nomini hostis, hæreticis, vt Augustinus loquitur, libertatem perditionis permisit, & tunc basilicas hæreticis reddidit, quando templa dæmonijs: eo modo putans Christianum nomen posse perire de terris, si vnitati Ecclesiæ, de qua lapsus fuerat, inuideret, &

Socr.lib: 1.  
c. 6. & Ni-  
ceph.lib: 8.  
cap: 27.  
Socr.l. 6. c.  
9. Can: 16.

Liberatus.  
c. 10. Breu.  
L. Damaa-  
to. C. de  
hæret.  
Action: 3.  
L. Quicun-  
que. §. Nul-  
li. & §. O-  
mnes. C. de  
hæret.  
Nouellæ  
Constit: 42

Lib: 4. E-  
pist: 32.

Epist: 166.

sacrilegas diffensiones liberas esse permitteret. Ac nõ  
 religioni solùm est hæc licentia pestifera, sed & ipsi  
 statui ciuili pernitiõsa, paciõq; publicæ inprimis ini-  
 mica. Vt enim D. Gregorius dicit: *Reipubl: ciuilibus*  
*incolumitas ex Ecclesiæ pace pendet. Et ubi seruat*  
*fides Deo, ibidem & Principi semel data, non facillè vio-*  
*latur, aut frangitur: nam ipsa religio vera atq; synce-*  
*ra, hoc docet, hoc exigit.* Accedit etiam, quòd discre-  
 pantes de religione sententiæ, animorum quoq; &  
 voluntatum diffensiones pariant, ex quibus conten-  
 tiones, rixas, bella, sequi necesse est, & ad extremum  
 ipsarum Prouinciarum, in quibus ea vigent, interiu-  
 tum. *Omne enim Regnum in se diuisum, desolabitur.*  
 Et experientia nostri temporis, adeò hoc manifestè  
 ostendit in Gallia, Germania, Anglia; vt superuaca-  
 neum videatur in eo demonstrando elaborare. Sed  
 nec solùm ipsi Reipublicæ, sed singulis etiam ciui-  
 bus est exitiosa hæc credendi licentia: nam libertas  
 credendi, nihil aliud est quàm libertas errandi; &  
 quidem errandi in re omnium periculosissima; vt-  
 potè, ex qua vniuscuiusq; pendet salus, & sequitur  
 interitus. Vna enim sola vera fides est, vt Paulus ait,  
 à qua qui potestatem facit, vt quis impune discedat,  
 quid aliud agit, quàm vt homini viã ad inferos pate-  
 faciat? Et sanè, sicut nec ouibus salutare fuerit, si  
 pastoris cura liberentur, adeòq; iisdem concedatur,  
 vt in præcipitem locum se committant; nec nauis  
 conducibile, vt amoto gubernaculo, in alto fluitas,  
 aduersis

Luc: 11.

Vide li-  
 bellum Il-  
 lustriss: D.  
 Stanislai  
 Karnkow-  
 ski, Archi-  
 episcopi  
 Gnesnen:  
 con: Con-  
 fœderati-  
 onem, sa-  
 pientissi-  
 mis refer-  
 rum ratio-  
 nibus, &  
 documen-  
 tis.

Ephes: 4.

aduersis tempestatibus iactetur: ita neq; Christianis prodesse poterit licentia illa, qua à veritate aberrandi illis integra sit potestas; & ea facultas conceditur, qua sibi perniciem concilient sempiternam. Pastores autem Episcopos, siue vi, siue fraude, siue deniq; pollicitationibus eò adigere, vt iureiurando confirment se nullam curam ouium suarum habituros, quin potiùs daturus operam, vt in quasuis hæreses etiam immanissimas, præcipites ruant, non modò impium, Christi q; præceptis aduersum, ( qui eodè iussit oues pascere, non prodere, ) verù metiam inhumanum prorsus ac barbarum est. Vt meritò Senatores illos, qui nuper in Cõuocatione, partim minis, partim precibus, partim pollicitationibus, miseros ad Confoederationi subscribendum adegerunt: pudere sui debeat, præsertim Catholicos, qui Religionem integram, atq; puram, omni priuata amicitia antiquiorem, ac chariorem, habendam esse, à suis Maioribus, & Iagellone inprimis religiosissimo Principe, discere potuissent. Quos sanè æquius fuisset illud cum animis suis cogitare; multò esse præclarior; veteres illos heroas imitari, qui leges grauissimas contra hæreticos condiderunt, & foedus cù socijs inierunt de iisdem profligandis, quàm ab illis desciscere, & ad novos ritus, vel deflectere, vel inauditam Maioribus, imò exosam perfidiam cum Iuliano Apostata promouere. Atq; vtinam Senatoribus istis, quod de Arcadio Imperatore, & Chrystomo,

de re

Lib : 13.  
hif. c. 5.

de re haud dissimili, cum Gaina Gotho Ariano differentibus, Nicephorus Calixtus memorat, venisset in mentem : *Hic*, inquit Nicephorus, *ab antesignanis heresis persuasus, sacram unam adem, consentientibus sibi in religione Sacerdotibus, ab Imperatore postulauit. Imperator inconstantiam animi eius metuens, tyrannidemq̄, quae ab eo expectabatur, suspectam habens; delibaturum se, eiq̄ consulturum esse recepit. Et Ioanni Chrysostomo accito, petitionem barbari indicauit. Diuinus autem vir, nō passus est ea verba ad exitum peruenire, neq̄ tempori cessit; sed Episcopis, qui tum Constātinopoli aderant, secum ductis, Regiam Imperatoris ingressus est. Et per seipsum primū, magno animo apud Imperatorem, causam egit: Ne sic, inquit, o Imperator, te facturum esse pollicearis; neq̄ ita sanctum canibus proijcere constitueris. Ego enim non sustinebo, ut qui rectē de Deo sentiunt, eijciantur: atq̄ eis sacrum delubrum, qui blasphemam aduersus eum linguam cient, concedatur. Neq̄ barbarum illum timueris: Verūm utroq̄ euocato, tu quidem tacitus, animum ad ea, quae dicentur, aduerte: ego autem linguam illius frenabo, & persuadebo, ut minimē ille petat, quae dare non conuenit. Imperator verbis his delectatus, utrumq̄ ad se accessit. Et Gainas ad finem perduci, quae ei promissa erant, petijt. Ioannes autem illi resistens: Non oportet, inquit, Principem, quicquam contra Deum audere; si quidem vera pietas illi cura est: sed potius benē constitutas leges seruare, & eam potissimū, quae contra haereses*

*alias*



*alias promulgata est. Suasitq̄ adeò Imperatori, condu-  
cibilis esse dicitans, ut imperio potius cederet, quàm  
per impietatem ad eam Dei proderet. Atq̄ sermonem ad  
Gainam rursus conuertens, oportere se Ecclesiam vnā  
habere dicentem: Omnes tibi, inquit, sacræ ædes pa-  
tent. His Chrysostomus & Imperatorem ita confirma-  
uit, ut templum denegarit Gaina, & Gaina silentium  
imposuit. Utinam, inquam, hoc præclarum & Im-  
peratoris, & Episcopi factum, istis in mentem, ve-  
nisset. Non ita facile fortassis, non vnā ædem,  
sed quantumquidem in ipsis est, omnes ædes hære-  
ticis prodidissent: quin potius conducibilis sibi  
persuasissent, imperio, seu potius officio Senatoris  
cedere: nec nouas leges pro hæreticis fanciuisent,  
sed, ut Chrysostomus loquitur, bene constitutas,  
& maximè eas, quæ contra hæreses olim promul-  
gatae sunt, studiosè, diligenterq̄; seruauissent, nec  
quicquam contra Deum, diuinumq̄; honorem, ho-  
noris proprii nimium fortassis cupidi, fuissent ausi.  
Sed heu, quo iustitiæ fides recessit, (libet enim vsurpa-  
re verba illa, quibus Constantinus Magnus olim,  
apud Ecclesiam Alexandrinam visus est) cum tan-  
tarum tenebrarum caligine inuoluimur? Neq̄ id tam  
ex errore, qui multiplex est, quàm malignorum homi-  
num vitijs, dum & propugnatores recordiæ sustine-  
mus; & eos, qui æquitatem & veritatem profligant,  
etiam cum id sensibus nostris percipiamus, negligendos  
putamus. Quodnam id genus peruersitatis? inimicos*

non reprehendimus, sed latrocinio nos comites damus: unde fit, ut viam quandam sibi facillimè strauerit, nemine repugnante, perniciosissima fraus. Dei lege, & bono ingenio instructi, toleramus tamen inimicos,urbationum & tumultuum facibus, quasi incendia miscere; idq; neq; oculis præditi cernimus, neq; legis sententiâ imbuti sentimus. Quantus igitur stupor nostram vitam incescit, cum nostrimet tam incurij simus, etiam Deo admonente. Quid igitur? num id mediocrè aut tolerabile malum est? Num pro hostibus habendi sunt? Nonnè in domum & populum Dei ante oculos nostros, per seuitiam debacchantur, & probra faciunt scelerati illi? Iam quanta id cum Vesania faciant ipsi, vobis cogitandum relinquo. Stulti enim illi in lingua sua, sitam habent malitiam, plumbeasq; iras ita secum circumferant, ut seipsos mutuis vicibus feriant, & nos secum ad altarium sui supplicij abstrahant. Interim, qui recta docet, hostis iudicatur: qui autem inuidia vitium præsert, populum mansuetum, quòd minimè oportuit, inuadit, vastat, absunit, & seipsum ultro corrumpit, gloriatur, extollit, veritatem subuertit, & fidem circumuenit: donec sua conscientie cauernas & latibula queritando inueniat. Ferocitas igitur agrestis eos miseros facit, qui ita temerè seipsos, cum indigni sint, effera in clamando: Heu scelera, illenè presbyter est? illene puer? mea existimatio attingitur, mihi hoc ipsum debetur, ab illo ablatum est. Ego igitur omnibus spoliatis, pro viribus nocebo. Luculentum insania tumultum di-

*cas, siacies, cenciliabula, aut conuitia istorum importanissimorum conuentuum videas. O nostram in Ecclesiam Dei peruersitatem! spectaculum maligni & demeritis animi. Nunquamne tandem pudefient? Nunquamne semetipsi improbabunt? Nunquam in animo morsus sentient, ut vel nunc saltem contra imposturam, & rixas, dignum aliquid animo concipiant, & sentire videantur? Hæc Constantinus ille Magnus, & cū Constantino vnà ego, tum horum temporum, tum istorum hominum deplorans infelicitatem. Sed nunc ad te, calumniator, redeo. Cū nulla vobis possit concedi credendi libertas, ac proinde nec eos sequi possitis, qui vobis formam fidei, contrariam ei, quam Catholica tradit Ecclesia, docent; nullas ministris vestris Decimas vendicare potestis, maxime quod non ipsorum gratia, sed Sacerdotum Catholicorum causa sint institutæ, vt ex legibus ac Priuilegijs iam liquet, ac ex omnium Ecclesiarum, Monasteriorum, ac Xenodochiorum foundationibus ostendi potest. Ac ne ministris modò, sed neq; secularis Ordinis hominibus, eas largiri iure potestis, eamq; dare licentiã, vt à sibi subjectis Decimas exigant; vtcunq; tu hoc loco bellè dicites: [Ius pleniùs in suum habent fundum, quàm, vos in alienum.] Decimas enim ex fundo alieno Diuinæ & humanæ leges, vt iam ostendimus, Clericis persolui iubent, non autem laicis eas adiudicant, etiamsi Sacerdoti sibi munia ipsi vendicent. Neq; enim hæc ijs licet obire;*

obire; vt non iam ijs laborum stipendia, sed audaciæ poenæ debeantur. Vt de hoc quoq; secularium abusu, Ordo Ecclesiasticus iure queratur. Nec tua illa excusatio locum habet: [ Quid si Doctores vestros redarguant, & ipsi doctrina tanquam veri patres familiâs, suâ discant præesse familiæ, quis hæc improbauerit? ] quasi verò oues pastores suos redarguere debeant, aut seculares docendi munus suscipere. Familiam suam possunt, adeòq; debent Christiani ad omnem virtutem instituere, Conciones tamen communi Christianorum sensui, atq; sententiæ repugnantibus, ex nescio quorū delirantium hausas Postillis prælegere familiaribus, & impium est, & absurdum.

## C A P V T X I.

*Iudices Tribunalis, iustè & sapienter decreuisse, Decimas more Maiorum dependendas, tam recentas, quàm in posterum persoluendas, postquam in Comitij's compositioni assignatis, nulla facta fuerit compositio.*

**A** Tq; hæctenus de Decimis insulsè, ac non modò Diuinis, sed nec Regni legibus, rectæq; rationi consentaneè differuisti. Nunc quoniam Ordinis Ecclesiastici causam, Illustrissimus Cardinalis Bolognetus, perpetua dignus memoria, in Comitij's, & sanctè & sapienter egit, ipsum quoq; tibi vexandum sumis. Illud enim te malè habet, quòd executionē Decretorum Tribunalis Regni, quibus Decimarū solutio

solutio imperatur, tã diu suspendi quiritet: sed quod faciendum tibi erat, rationes eius efficacissimas minimè refellis. Illud enim solùm quæris, num Iudices Tribunalis in tam graui, ac necdum definito negotio aliquid statuere debuerint? quasi verò negotium Decimarum nondum definitum sit, cùm ex Diuinis literis, Regniq; legibus, clarum & testatum sit, Decimas Ordini Ecclesiastico deberi, & ex Historijs constet, omniq; antiquitate absq; vlla cõtroversia perpetuò fuisse persolutas: quasi etiam causa Decimarum ita sit noua, vt sine Tribunalis iudicij definitione, iustissimam æquissimamq; esse, non sit manifestum, aut ita dubia & ambigua, vt ad compositionem reijci debuerit. Imò nec Tribunali, calumniator, fas fuit, postquam prima Comitia præterierant, compositioni assignata, aliud statuere; sed necessariò pronuntiandum illi fuit, eos Decimas dependere oportere, qui easdem sibi iniuria vendicauissent. Suspendio enim executionis sententiæ Tribunalis, ad proxima solùm Comitia facta fuit. Et hoc tum ex verbis ipsis Decreti, tum ex ipsa ratione liquet. Verba sunt: *Executionem verò Decreti, ad alterum Conuentum suspendimus*; quæ proximum Conuentum significare, Cardinalis Bolognetus planè demonstrat. Et ratio id ipsum suadet. Nam aliqui absurdissimum Decretum foret, si incertum cõpositionis tempus relinqueretur: & tamen, nisi finita compositione, ea quæ de Decimis est, controuersia finire

sia finiri non possit. Hoc enim ex eo sequeretur, quod cum cōpositio ipsa illorum, qui Decimas debent, consensum & voluntatem necessariò requirât; possent ipsi dissentiendo efficere, ne vnquam finiretur suspensio; & vt perpetuum hoc esset impedimentum, ne Decimæ Ecclesijs ampliùs soluerêtur. Quo quid alienius, quid absurdius excogitari potest? Quid enim aliud esset, debitorum arbitrio committere rei debitæ solutionem, quàm peruicacibus hominibus, & solutionem iustissimam, detrectantibus, Decreto publico suffragari, quàm rapinas fouere, quàm legibus imponere, & totius Polonici iuris auctoritatem, per summam fraudē & iniuriam infringere, ac labefactare. Quæ cum ita sint, peractis prius Comitij, Decretorum de Decimis persolvendis fieri debuit executio: [ At, inquis, si per legem licuit tempus differre compositionis; cur etiam per legem non licuit tempus differre suspensionis, cum causa principalis nondum sublata fuerit? ] Per quam legem, ô bone, licuit tempus differre compositionis? hanc tu legem proferre debebas. Ea sanè nulla est, ac nec esse quidem potuit, Clero vniuerso reclamante, ac illud testante, quandoquidem compositio nulla fiebat, se non iam compositionem, sed executionem, Decretorum Tribunalis velle. Lex enim à parte Senatus, in alterius partis præiudicium ferri non potest, nec ea censetur valida in Polonia sanctio, quæ omnium Ordinum consensione roboretur. Atqui hæc,

hæc, quam dicis, lex, sola Secularium, nec omnium, eorumq; debitorum voluntate & arbitrio lata est. Ac proinde non lex, sed legis de Decimis persoluedis ritè lata euersio fuit. Accedit etiam, quòd Clerus, qui eo tempore compositionem exoptabat, eadem non de futuris, sed de præteritis fieri voluerit. Quod & ipsum compositionis vocabulum, quo usus est, indicat. Nec enim compositio leges tollit, sed modum statuit, quo possint ij, qui aduersus legum præscripta peccarunt, vtriusq; Ordinis consensione, facere iisdem satis. Quod autem causam principale sublatam non fuisse dicis, benè habet. Sed cuius culpa id accidit? Ecclesiasticorumnè qui compositionem percupiebant, an vestra, qui varijs artibus compositionem post multas cõcertationes elusistis? Nec verum est quod subiungis, Ecclesiasticos non ante multos annos æquissimas pacis condiciones reiecisse; fuerunt enim eæ iniquissimæ. Et ne omnes commemorem, illa vna fuit, vel teipso teste, vt Decimæ Sacerdotibus subtraherentur, & ministris sathanæ persoluerentur. Quo nihil potuit iniquius, nihil iniustius excogitari. Nec illud minus est falsum, quod annectis, Clerum nullas velle pacis componendæ rationes, nisi pro libito recipere. Clerus enim non ex proprio arbitrio, sed ex vetustissimis & æquissimis Regni legibus, pacis condiciones desumi postulat. Quibus si vos obtemperaueritis, iam pax æterna, concordiaq; stabilietur. Leges autem Regni quid  
postulant

postulant aliud, quàm vt Decimæ soluantur, ijsque dependantur, quibus multorum iam annorum spatio, per summam iniuriam subtractæ sunt? Atque hoc solum Ordo flagitet Ecclesiasticus. Quæ sanè ipsorum petitio, nec inutilis, nec perniciosa, vt tu calumniaris, existit. Nec enim parum illud commodi habet, ac multò minùs exitiosum esse potest, quod iustitiæ & æquitatis perscribit ratio. Ac videras tu, opinor, vtcunq; decantes aliud, hæc ita se habere, & proinde, quod rationibus à iure petitis non potes efficere, partim commemoratione quadam [ felicitatis Cleri, Ecclesiarum censibus ac immunitatibus florentium, Abbatiarum, Collegiorum, splendidè extructorum, partim hortatione nescio qua, qua non decere seruos Dei, *inquis*, opibus huius seculi tantopere inhiare, & populum tributis & pensionibus onerare: præsertim cum Episcopi & Abbates abundant, qui proinde possint, & debeant Parochos tenuiores sustentare, cum tam vberes census cesserint vni Ecclesiæ, non propter solius Episcopi, vel Abbatis personam, sed ad plurimum, imò & totius Dioceseos commoditatem. ] Ac tu quidem hæc omnia. Cæterùm, felicitas non est tanta, quam narras: Immunitates enim iam propemodum interiire, Ecclesiæ censibus, sublatis Decimis, non florent; Abbatia, coenobia & Collegia, splendidè quidem illa extructa sunt, ruitura tamen breui, si Decimas ipsis instaurandis necessarias, vobis per summam iniuriam vsurpetis. Quod autem non decere ais, seruos Dei inhiare opibus huius seculi, bene habet. Decimæ non sunt opes huius seculi, sed Ecclesiæ, seu  

potius



potiùs Dei, & proinde easdem expetere iure possunt. Tributa, pensiones, à nullo exigunt, sed tātum quod ad ipsos pertinet, & quidem iurè flagitant. Episcopi in Dioeceseos commoditatem (nam de Abbatibus secus habet: bona enim quæ possident, ipsis sunt attributa, vt se, atq; Monachos, hominesq; egentes sustentent) fateor, has opes acceperunt, vt videlicet Diocesim ipsam gubernēt, eiusdemq; rationes procurent. Cū tamen iam olim quadripartitam bonorum diuisionem fecerint, & Parochis Decimas dederint, (vt ex Cromero liquet;) nullo astringuntur iure, vt Parochis plura largiātur, præsertim cū hæc ipsis vix ad Pōtificialem dignitatem tuendam, & Senatorium munus sustinendum sufficiant. Quare, vt hanc totam disputationem de Decimis, tandem aliquando finiam, nihil magis sacris literis, Regniq; legibus consentaneum, nihil rectæ rationi conducibilius feceritis, calumniator, quàm si Decimas, quibus iure debentur, dependeritis. In quo si nec duros, nec difficiles vos præbueritis, & opibus affluetis ipsi, & Clerici vitam in egestate, vt in præsentia, nequaquam degent. *Maiores enim nostri*, vt cum Augustino concludam, *ideò copijs omnibus abundabant; quia Deo Decimas dabant, & Cesari censum reddebant: modò autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Nolimus partiri cum Deo Decimas, modò autem totum tollitur.*

Homil: 48.  
ex lib: 50.  
Homil.

## CAPVT XII.

*Quartam Ecclesiastici Ordinis querimoniam, de Cleri contemptione & exactiōibus, iustissimam esse: Clerum autem ab omnibus exactiōibus, & expeditione bellica immunem esse, ex Regni legibus, & vetustissimis Priuilegijs constare.*

**S**Ed de tertia Ecclesiastici Ordinis querimonia factis: nunc quarta sequitur, quam paucioribus expeditam, quoniam tibi pro tua mansuetudine & lenitate paucis non argumentis ( neq; enim vlla producis ) sed conuitijs & maledictis, eandem petere visum est. Ipsa autem querimonia tota in eo potissimum consistebat, quod prerogatiuis Cleri derogari; libertas, si non adimi, minuitamen omnis videretur. Ac ne sola esset, & proinde iniqua potius conquestio quàm legitima querela haberetur, æquitatis eiusdem declaratio ac demonstratio, annexa fuit: quod videlicet Sacerdotibus iudicio, studioq; maiorum, ob rerum sacrarum curam & administrationem, debitus honor denegaretur, atque adeo vniuersus Ecclesiasticus Ordo iniurijs afficiatur, exactiōibus oneretur, & quodammodo exauctoretur. Quam tu querimoniam quòd tantopere mireris, mirari equidem non possum satis: quòd autem exagites atque vexes, miror omnino nihil, quoniam hoc tibi vt facias, cum suadet hæresis, tum innata quædam atq; insita impellit maledicen-

ledicentia. Miraris tamen maximè, & quodammodo obstupescis: [ Hic quæro, *inquis*, quam vobiscum tantam honoris vestri iacturam pati dicitis? Quis vestri Ordinis tantus contemptus? Quænam vobis illata iniuriæ? Quæ nouæ & inusitatae exactiones impositæ? ] Ac ne sine causa mirari videaris, aspexisse te affirmas in publicis Regni Comitijs, Pontifices latus vtrumque Regis cingere; à primarijs Senatoribus honorificè salutari, ac ne in conuiujs quidem alio, quàm primo loco confidere; cæteros deniq; Clericos, pro suo quosque gradu venerationem habere. Denique quod de exactionibus querantur, miraris; cùm saluis Ecclesiasticorum censibus, subditi eorum tantum, aliquid in sumptus belli Moscouitici, Decreto Reipublicæ, dependerint. Galli autem, Itali, & Veneti nominatim, ne sacris quidem redditibus in bello contra Turcas, quamuis Pontifice rem indignè ferente, pepercerint. Sed non est, quòd hæc omnia, calumniator, quæ Clerus queritur, ita mirere. Sunt enim talia, vt verissima esse constet. Nam clerum eo honore non affici, qui olim illi, iureque optimo, tribuebatur, quis est qui possit ire inficias? An nunquam ludibrio esse Sacerdotes, & despectui turpissimo cuiq; , & inprimis tui similibus hæreticis vidisti? An nunquam in compitis, in aulis, in diuerforijs, conuicijs onerari? An nunquam in libris tuorum riuualium, probris omnibus & maledictis vexari? Imò nonne tu ipse, qui ita Cleri querimoniam demiraris, in hoc tuo pestilenti

libello, innumeris verborum contumelijs, vniuersum Ecclesiasticum Ordinem laceras? An denique eâ, qua olim Sacerdotes reuerentia & honore dignamini? Conscientiam tuam, calumniator, hîc ego testem appello. Quod autem vidissè te affirmas, Pontifices vtrumq; Regis latus cingere, adeoq; in conuiujs primos confidere, non inficior. Et hic sanè illis debetur, ob dignitatem qua cæteros antecedunt, honos, & ipsa Regni Statuta eundem illis & meritò concedunt. Ab eo tamen deijcerentur illico, nisi ea essent potentia, vt facilè dignitatem ac locum tueri suum, contra quorundam iniurias & insolentiam, possent. Nec ita multum temporis est, quod Sigism: Aug: Rege, aliqui Pontificibus de hac ipsorum prærogatiua litem mouerint: & nuper Archiep: Gnesnè: quidã permolestè tulerunt, tam excelsum dignitatis gradū obtinere. De iniurijs, quæ Clero inferuntur, vbi & de iurisdictione Ecclesiastica imminuta, & Decimis per sumnam iniuriam Clero ademptis disseruimus, nonnulla cōmemorauimus, & infra quoq; dicendi locus erit. Quod verò ad exactiones attinet, nec minus iustè de ijs queruntur Ecclesiastici, quàm tu iniustè miraris? Quid enim? An tibi nulla iniuria videtur, quòd ijs subiecti ex bonis suis militibus stipendia pendant? Aut ij ab exactionibus immunes dici queunt, quorum subiecti ad exactiones astringuntur? An non bona subiectorum, ipsorum Ecclesiasticorum bona sunt?

Quomo-

Herbor:  
p. 240.

Quomodo ergo Ecclesiastici à tributis liberi sunt censendi? Næ tu, qui hæc miraris, aut admodum es malitiosus, & veterator, qui ita omnia implicas & inuoluis; aut stupidus planè atque bardus, qui bona subiectorum à Dominorum bonis tam imperitè discernis. Vt interim iniuriam agnoscas, & Cleri quærimoniæ æquitatem, lege, si lubet, Statuta; & Ordinem Ecclesiasticum prorsus à tributis immunem, inuenies, adeò vt non ipsi solùm, sed nec iis subiecti ad eadem pendenda, lege vlla aut sanctione, compellantur: si autem aliquando dependerint, id, vt Regi gratificarentur, & Regno subuenirent, sua sponte eos egisse, ac pro eo solùm tempore atque vice, legum volumina apertè demonstrant. Testatur id Statutum quod Sigism. anno 1527. edidit. *Et quoniam, inquit, spirituales in omnibus Palatinatibus, & districtionibus habent sua bona Ecclesiastica, quæ licet nunquam aliàs subiecta erant oneri bellicæ seruitutis: Ut quæ per Serenissimos Prædecessores nostros Polonia Reges, & Duces, sunt ab initio foundationis Ecclesiarum, ad usum duntaxat & onera Ecclesie collata, multisq; immunitatibus & libertatibus donata: tamen in præsentis Regni necessitate, & summo discrimine, volentes ipsi Domini Spirituales, sibi & Ecclesiis suis, gratiam nostram demereri, fratribus verò suis Dominis Secularibus gratificari, Rei publicæ (pro cuius bono statu orare tenentur) ope sua non deesse: permiserunt non grauatim bona sua Ecclesiastica, hæctenus semper libera,*

Sigismundus Cracovix, 1527.

Sigismun:  
Petricou:  
1544.

1228.

An: 1228.

libera, cum his, quæ ad defensionem obligata sunt, in  
presens taxari. Testatur & illud, quod Petricouicæ  
sanciuit, Anno 1544. Quod ipsum, inquit, Ulro se  
facturos Spirituales obtulerunt, unâ cum Clero suo, de  
expeditione bellica agitur. Testantur denique innumera  
priuilegia vetustissima, quæ in Bibliothecis Ecclesiarum  
antiquissimarum etiamnum asseruantur. Tale illud est  
Vladislai Pij, Poloniae Ducis. Barones, inquit, & Nobiles purè diligam, & benignè conseruabo. Iudicia iniusta penitus interdico, iura iusta & honesta, secundum Episcoporum & Baronum consilium tenebo, & faciam ea ab alijs firmiter teneri. Quod si quis violauerit, punietur. Ecclesias verò, in omnibus finibus illis constitutas, in eo quicquid obtentum est, ex antiqua consuetudine, vel libertate concessa, à fratre meo Duce Lescone pramortuo, illibatas conseruare volo. Et illud, quod eodem anno edidit: Ego Vladislaus Dux Poloniae, pro remedio animæ meæ, & in augmentum retributionis æternæ, Ecclesiam Dei honorandam & decorandam, priuilegijs meis deuotè prælegi: animaduertens in illius honore ac libertate, potissimè ipsius Altissimi Filium, per quem Reges regnant, qui ipsius verus sponsus est, honorari, ut ab ipso merear suffultus Ecclesie suffragijs, ac honore temporali crescere, & æternè gaudere, qui temporalia munera sibi dulciter impensa, retributione compensat æterna. Cuius licet sunt omnia, à nobis tamen sua propria dignatur recipere, quasi nostra. Vnde dico cum Dauide Rege:

Omnia

Omnia tua sunt Domine, & quæ de manu tua recipimus, dedimus tibi. Et etiam, Domine dilexi decorem domus tuæ, &c. *Cupiens grauamina Ecclesiasticarum personarum hactenus inlicita relaxare, & solatium principali munificentia piè largiri. Inde est, quod Ecclesie Dei liberaliter & libenter confero Canonicam libertatem, liberans eam ab omnibus grauaminibus, & exactionibus indebitis, &c. Iura etiam Cracou: Ecclesie specialia, & domorum religiosarum in Cracou: Diœcesi constitutarum, siue largitione principum, siue aliâs longa consuetudine obtenta, illibata conseruabo. Nec dissimilia sunt Boleslai Pudici, Cracou: & Sendomir: Ducis diplomata, in quibus præter alias libertates & exemptiones à quibusuis oneribus, solutionibus, iudiciis, Clerum vniuersum ab omni expeditione bellica, per se, vel per alium suscipienda liberat perpetuò. Venceslai item Regis Boemix, Cracou: & Sendomir: Ducis. Illud Præmissi item Ducis Polonix: Prædecessorum, inquit, nostrorum pios actus, prout possumus, imitantes, imprimis libertates ab eis concessas Ecclesie Gnesnensi, approbando, iure perpetuo confirmamus; omnes incolæ ipsius Ecclesie, ab omnibus angarijs, & præangarijs absoluendo, videlicet ab omni solutione, exactione, seruitute, ac iurisdictione seu dominio totaliter liberantes. Eiusdem quoque generis & illud Casimiri Magni: Absoluimus gratiosè ab omnibus solutionibus, exactionibus. Simile quoque & illud Semouiti Ducis Maso-*

In Priuil:  
Eccle: Cracou:  
concesso,  
1252. &  
1258.

An: 1291.

Dat: in  
Glolinua,  
1284.

In Priuil:  
concesso  
Eccle: Gnes-  
nen Crac:  
1337.

uix: Li-

Dat: Vo-  
rodimæ,  
1361.

In Priuil:  
de statio-  
nibus an-  
te Oppidū  
Zakroczin

uia: *Liberamus ab omnibus exactiombus, seu Po-  
radne, ab expeditionibus quibuslibet, intra & extra  
terram.* Talia denique & illa sunt Vladislai Iagello-  
nis, quo testatur Archiepiscopum Gnesnensem, &  
Episcopum Cracouiensem, vnum Baniecum, seu  
vexillum expediuisse, non ex debito, sed amore pa-  
triæ: & Casimiri Vladislai filij, quo à Clero Pro-  
uinciæ Gnesnensis, ex mera liberalitate subsidium,  
charitatum. (ita enim loquitur) aduersus Cru-  
ciferos concessum fuisse scribit: aliaq; innumera,  
quæ in Archiuio Regio asseruantur, quæ, ne longus  
sim, præmitto. Quæ omnia tanti fuere momen-  
ti, atque ponderis, apud Maiores nostros religiosissi-  
mos, vt nullo vnquam tempore, Reges etiam cum  
acerbissimis & grauissimis bellis Silesiorum, Boe-  
morum, Ruthenorum, Prussorum, Germano-  
rum, Valachorum, Scytharumque, Polonia diue-  
xaretur, Ecclesiastici Ordinis homines, ad expedi-  
tionem suscipiendam compulerint: illud, opinor,  
veriti, ne minus feliciter pugnarent, si eos, qui De-  
um sacrificijs & precibus placare ex officio debe-  
rent, ad sanguinem spargendum, atque cædes coë-  
gissent: aliorum Regnorum moniti exemplo, & vi-  
cinæ inprimis Hungariæ, in qua, vt Bonfinus me-  
morat, cum Episcopi in exercitu, iussu Regis, præ-  
ter fas & æquum, cum alijs versarentur, tanta ho-  
minum facta strages est, vt vniuersi propemodum  
interierint. Atq; adeò locus, in quo eorundem se-  
pulta ca-

Bonfin: in  
hist: Hun.



pulta cadauera sunt, in Transyluania etiamnum monstratur. I nunc, & illud dicito, calumniator, iniuriam Clero nullam fieri, si ipsis subiecti Cmetones, ex bonis suis tributa pendere compellantur. Illud quoque affirmato Decreto Reipublicæ, Clerum ad bella Moscouitica cogi posse. Habes vetustissimas Regum sanctiones, Priuilegia certissima, quæ contrarium asseuerant, & proinde eiusmodi, quæ Clero reclamante abrogari nulla ratione possint. His, si tu nulla subnixus auctoritate, nulla ratione contradicere volueris, non tam responsione, quàm reprehensione, dignus sapiētibus iure videberis. De Gallis & Venetis, quod affers, nihil moror. Nam inprimis, illos iura Cleri ita infregisse, vt narras, & libertatem imminuisse, nullo ostendis testimonio: deinde, si ita per summam iniuriam fecisset, non inde mox efficitur Polonis fas esse, ipsorum scelus & iniustitiam imitari. Ordinis interim Ecclesiastici, ea est æquitas & æquiabilitas, vt nunquam Reipublicæ laboranti deesse velint, vt nec hætenus defuere. Vestri autem est muneris & officii, si minùs patriæ opitulari possint ob indigentiam, quam in præsentia, subtractis Decimis, patiuntur, ipsorum iura & Priuilegia, salua atq, integra, conferuare, aut si qui possint, eos more maiorum rogare, vt bono communi, Reique publicæ incolumitati consulant.

## CAPVT XIII.

*Quintam Ordinis Ecclesiastici querelam, de Ecclesiarum desolatione, ac vastitate, plebe sacris, & Sacramentis destituta, legitimam esse: Hereticos omni cultu Diuino & Sacramentis carere, denique inania esse, quæ Calumniator Catholicis obijcit.*

**Q**uintæ iam aggrediar querimoniam, calumniator, vexationem. Refutationem enim pudet dicere. In ea tamen quocunq; appellanda nomine fit, nã tu, si aliã vnquam, Rhetorico vsus es artificio. Cùm enim queratur Clerus, quod Ecclesiæ desolentur, ( vtar querimoniam verbis ) in iisdemq; fiat abominatio; quod sepulchra Christianorum violẽtur: quod plebs sine Sacramento, & cultu Diuino viuat, & pecudum instar moriatur: quod thesauri Ecclesiæ & ornamenta distrahantur, & in vsus profanos cõtra leges Regni conuertantur; quod fundi deniq; & census Ecclesijs adscripti, adimantur, tu vniuersa querimonia, dissimulata ferè, ac penè præterita, in cultum, quo Deum veneratur Ecclesia Catholica, inueheris, in Pontificem ( quem non minus impudenter, quàm impiè, Antichristum nuncupas ) in Traditiones, ( quas Canone Scripturæ abrogato fingis substitutas ) in Statuas Christi, ac Diuorũ Imagines, [ quas, ais, nos vt Ioues, Veneres, atque Martes venerari, idq; contra Patrum, Lactantij, Augustini, E.

Stini, Epiphaniij, imò & ipsius Scripturæ auctoritatem, qua serpentem æneum contractum legimus: ] illud autem solùm, ad Cleri conquestionem, respondes; [ vos imagines ( quarum Clerus ne meminit quidē ) tollere, ne idololatria occasionem præbeant, plebem rectius Sacramentis, cultuq; Diuino destitui, quàm falsis cæremonijs, & à fide Christiana alienis, pollui, ipsaq; Sacramenta pecudum more tumultuariè sumi, facius denique esse, vasa Ecclesiarum in vsus pauperum erogare, quàm ad idolorum cultum destinare, ipsosq; fundos egentibus tribuere, quàm idolorum Sacerdotibus, ociosis & ventrosis concedere. ] Quod sanè non, est querimoniam refutare, sed Catholicam religionē, ipsumq; Clerum calumniari. Ego interim, ut uilissimus videar, ostendam & verissima esse quæ Clerus obijcit, & à te iniustè reprehendi, quæ Ecclesia siue ad Dei cultum ac religionem, siue ad Templorum ornatum & splendorem adhibet, siue deniq; ad Cleri alimenta, hæctenus à maioribus accepta retinet. Omnia comprehendam paucis. Quod primum igitur in querimonia fuit, Ecclesias profanari, & in iisdem abominationem desolationis fieri, sepulchraq; Christianorum violari, quis ambigat? qui supra Lxxx. templa Deo sacra, in Gnesnensi Dioccesi; in Vladislauiensis XC. in cæteris per vniuersam Poloniam non pauciora, partim vestro furore dissecta, partim deserta ob expulsos Sacerdotes Catholicos, ( quod & tu ex volumine, in quo Ecclesiæ direptæ & dirutæ, descriptæ erant Stephano Re-

Vide Ar-  
turi Faun-  
tei, Oppu-  
gnationes  
Coenæ Lu-  
theranæ &  
Caluinia:  
partis 1.  
cap : 3. &  
par : 2. c. 3.

Lib : 20.  
contra  
Fauft. c. 17.

ib : 20.  
contra  
Fauft. c. 18.

gi oblato, discere potuisti) partim execrandis hæreticorum, Lutheranorum, Calvinianorum, Anabaptistarum, Picardorum, Arianorum, sacris contaminari auditione acceperit? quibus impijs cæremonijs, Ecclesias ipsas profanas fieri certissimum est. Quid enim aliud est hæreticorum mensa, quam in templo reponunt, quàm mensa dæmoniorum, ex qua profani ministri, minimè sacerdotes, non iam corpus Christi, sed execratum panem, & ipsi accipiunt, & populo rudiori distribuunt? Quid eorundem preces aliud, quàm fallaces ac impuræ blasphemix? Quas enim puras ac simplices orationes, tanquam Diuinos honores & sacrificia habere poteritis, ( vt vos iisdem verbis, quibus olim Augustinus Manichæos, alloquar ) cùm de ipsa natura, atque substantia Diuina, ( vos Ariani ) de Eucharistia, de Baptismo, de Sacramentis cæteris, Lutherani & Calviniani ) tanta indigna & turpia sentiatis? Vnde vestræ etiam ad Deum preces non possunt esse religiosæ, sed inuidiosæ; vt cum eodem loquar Augustino. Quid sacrificia vestra aliud, nisi cultus caco-dæmoni tributus? *Manichæi enim, inquit Augustinus, ( addo & ego, ô Lutherani, Calviniani, Ariani, cæteri, ) nescientes quid damnandum sit in sacrificijs gentium, & quid intelligendum in sacrificijs Hebræorum, & quid tenendum vel obseruandum in sacrificio Christianorum, vanitatem suam sacrum offerunt diabolo, qui eos decepit, recedentes à fide, intendentes spiri-  
ritibus*

ritibus seductoribus, & doctrinis demoniorum, in hypo-  
 crisi mendaciloquorum. Quid deniq; conciones hære-  
 sibus insperæ aliud, quàm idololatria quædam? Ne-  
 que enim ab idololatria distare hærefes, dubitare  
 quis debet, *inquit Tertullianus*, cùm & auctoris, &  
 operis eiusdem sint, cuius & idololatria, atq; hac sa-  
 nè de causa, à Patribus athei nuncupantur hæretici;  
 ab Athanasio Arrius, à Hieronymo Eunomius, à  
 Socrate Aëtius, ab alijs alij: quorum hærefes vos  
 ipsos sequi, aliorumq; hæreticorum, *Cap: 1.* demō-  
 strauit. Iam verò alterum illud, quod in querimonia  
 sequebatur, plebem sine Sacramentis & cultu Diui-  
 no viuere, & pecudum instar mori, quis non videat  
 esse verissimum? Si enim de plebe hæretica loqua-  
 mur, nemini dubium est, quin Deum rite non co-  
 lat, vt iam ostendi; nemini etiam ambiguum est,  
 eandem Sacramento Baptismi frequenter spoliari,  
 (vt apud Anabaptistas accidit:) Sacramento autē  
 Eucharistiæ, atq; cæteris, Ministrorum vestrorū sce-  
 lere omnino destitui. Quid enim? An non laici sunt  
 Ministri vestri, qui coenam illam, Domini scilicet  
 extruunt? à nullo Episcopo per manuum impositio-  
 nem sacris initiati, quod tamen Diuinæ literæ requi-  
 runt; neminiq; succedentes, à seipsis ordinati, vt Cy-  
 prianus loquitur: & proinde Ministri huiusmodi,  
 qui nullam Eucharistiæ consecrandæ, à Christo po-  
 testatem acceperunt? cùm solis ille Apostolis, & ijs  
 qui Apostolis legitime succederent, Presbyteris di-

Li: de Prae-  
 script.  
 Sermon: 2.  
 con: Aria.  
 Epist: ad  
 Pâmach:  
 & Ocean.  
 Lib: 2. hist:  
 trip. cap: 8.

Act: 13.  
 1. Tim: 4.  
 Tit: 1.  
 Epist: ad  
 Magn.  
 Matt: 26.  
 Mar: 14.  
 Luc: 22.  
 2. Cor: 11.

Can: 18. re-  
cepto à Cō  
ci: Cartha:  
VI. c. 9.

Dial: ad-  
uer: Luci-  
fer.

Apol: 2.  
pro fuga  
sua.  
Syn: Alex:  
Asta  
Socr lib: 1.  
cap: 29.  
Theod: 1. 2.  
c. 8.

xerit: *Hoc facite in meam commemorationem*; quē ad-  
modum hactenus credidit Ecclesia. Quod ad eō  
verum est, vt Concilium Nicænum I. ne Diaconos  
quidem voluerit presbyteris Sacramentum Corpo-  
ris Christi porrigere, tantum abest, vt consecrare  
posse putauerit. *Hoc enim neq̄ regula, inquit, neque  
consuetudo tradidit, ὅτι ἐξουσίαν μὴ ἔχουσιν πρὸς Φίπρον, ὡς  
ἰj, qui offerendi sacrificium non habent potestatem, τὰς  
τὰς τὴν πρὸς Φίπρον δίδουαι τὸ σῶμα τὸ χριστοῦ, his, qui offerunt  
corpus Christi porrigant.* Hieronymus quoq; de Hi-  
lario Luciferiano differens: *Hilarius, inquit, cū  
Diaconus ab Ecclesia recessit, solusq; ut putat, turba sit  
mundi, neq; Eucharistiam conficere potest, Episcopos &  
Presbyteros non habens. Deniq; Athanasius, cū rumo-  
rem dissipasset Ischyras, Macarium (Athanasii presby-  
terum) in altare insultasse, mensam Domini euertisse,  
& poculum mysticum confregisse, aliud respondit nihil,  
quàm Ischyram, cū presbyter non fuerit, ut potè, cui  
non Episcopus, sed Colythus quidam presbyter manus  
imposuerat, Eucharistiam conficere minimè potuisse, ac  
proinde nihil peccasse Macarium, si eundem ab altari  
remouerit. Et tamen hi profani ministri, ac ne Dia-  
coni quidem à quoquam Episcopo ordinati, Eucha-  
ristiam conficient? Si autem de plebe Catholica  
sermo sit, luce clarius est & ipsam, quæ sub vestra  
crudeli ac superba dominatione viuit, plerumq;ue  
cultu Dei, legitimisq;ue Sacramentis destitui. Per  
summam enim iniustitiam, & contra ipsam Consecra-  
deratio-*

derationem, quam vsque adeò iactitatis, plebem ab Ecclesijs arcetis Catholicorum, & misera multitudine bonorum, ad vestra gurgustia & speluncas latronum compellit: Catholicos quoq; Sacerdotes ad ipsam Sacramenta perferre, nulla ratione finitis. Cætera, de quibus Clerus queritur, ne ipse quidem inficiaris. Vasa enim Ecclesiæ, & fundos Ecclesijs adscriptos, fateris à vobis creptos, sed adiungis pauperibus videlicet datos. Quod quàm verum sit, omnes norunt, qui quicquid in Ecclesijs argenti fuit, quicquid vasorum, in pocula profanis vsibus accommodata esse conuersum vident: fundos autè & possessiones, non à pauperibus, sed à nobilibus, egentium oppressoribus & expilatoribus, teneri. Nec sanè mirum, cum vobis ferè res pauperum non magis curæ sint, quàm Iudæ, qui Christum, prodidit: quem vt imitari videamini, Clerum qui Christi vices in terra obit, è medio tollere omni studio & diligentia contenditis. Sed etiam si ita res haberet, vt pauperibus hæc omnia vos dedisse constaret, quibus obsecrationibus, hoc factum vestrum tueri possitis? Annè vlla lex iubet, aut sanctio concedit, vt alienum egentibus præbeatis? Sanè Diuinæ literæ, adeòq; æquitas ipsa, suum cuiq; tribuendum docet: vt meritò vos grauissimè deliqueritis, qui fundos sacerdotibus, præcipuè pauperibus, eripueritis. Pauperibus interim elargiri debueratis, non quæ pauperum sunt, sed quæ diuitibus vobis Deus munificè & liberali-

liberaliter dedit. [ At vasa, *inquis*, & ornamenta, ad idolorum cultum destinabantur, Sacerdotes quoq; vestri, idolorum sunt sacerdotes, ventrosi & ociosi. Intelligo quid velis, idolorum cultum, imaginum venerationem appellas: & Sacerdotes quod easdem censeant venerandas, idolorum sacerdotes. Sed, ô bone, tibi ostendendum id erat, imagines Christi & Diuorū, quas Ecclesia cultu aliquo profecquitur, idola esse. Hoc tu sanè nunquam præstare poteris. Differunt enim imago & εἰδωλον, vt eruditè Origenes & Theodoretus annotârunt, quod imago sit vera rei similitudo, hominis, equi, &c. ab imitando enim dicta est. Idolum autem falsa, ea nimirum, quæ id quod reuera non est, repræsentat: vt Veneris, Martis, &c. statua & figura. Et si tibi idem prorsus esse videtur, fateri cogaris, & Cherubinos, quos in templo Dei Salomon collocauit, idola fuisse. Vt vel hinc iam perspicere possis Sacerdotes Christianos, qui imagines Christi, & Diuorum, aliquo in honore habent; Sacerdotes tamen idolorum dici non posse. Ipsas interim habere fas esse, iisdemq; venerationem aliquã tribuere, sine omni idololatriæ suspitione, & ex sacris literis, & Oecumenicis Concilijs, vetustissimorumq; Patrum consensione, viri Catholici, ijq; doctissimi, iam diu demonstrârunt: quibus hæctenus à vobis responsum non est. Quod autem populum dicis imagines Dei cultu venerari, & Diuinū quidpiam ipsis inesse putare, mendacium est. Quod verò adiungis

Homil: 8.  
in Exod.  
Quæst: 38.  
in Exod.

Nicolaus  
Sanderus,  
lib: 2. de I.  
maginib.



adiūgis scholasticos secus in Scholis de imaginibus, secus verò in cantilenis occinere, & ipsum quoque mendacium est putidissimum: nec enim tu vllam cantilenam protuleris, ex qua iure colligas, scholasticos vllos in suis siue precibus, siue Hymnis, Sanctorum imagines vt Deum ipsum venerari. Non enim hæc latria colunt (vt VII. Synodus Oecumenica inquit, ante annos octingentos) nec in ijs spem reponunt, aut deniq; iisdem sacrificia offerunt, sed vt sacra Euangelia venerantur: ita tamen, vt per imagines, coram quibus caput aperiunt, vt Concilium Tridentinum loquitur, Sanctos ipsos, quorum illæ gerunt similitudinem, honorent. Quod deniq; serpentem æneum confractum, quamuis typus Christi esset, memoras, & Lactantium profers affirmantem, nullum cultum syncerum religionis eo in loco esse, vbi cultus aliquis simulacrorum fuerat, Augustinum quoq; monentem, ne religionem, in cultu mortuorum ponamus; ac ad extremum Epiphanium, quem ais, ne imaginem quidem crucifixi in templo ferre voluisse, & ineptissimè, & improbissimè facis. Serpentem enim æneum, Ezechias 4. Reg: 4. Reg: 18. confregit: quoniam Hebræi eidem incensum adolebant vt Deo, & obliti significationis, propter quã serpentem erexerat Moyses; honorabant eundem ob materiam, vt idola cætera: ab eoq; beneficia curationum proficisci putabant. Serpenti interim, vt signo religioso, honorem aliquem iure atq; meritò, sineq;

Lib: 3. de  
Trinitat.  
cap: 10.  
Lib: 1. Inst:  
Diuin.  
Carmin: de  
Pass.

In Epist:  
ad Ioan:

Hierosol.  
Li: 9. Ep: 9.

sineq; crimine habitum, à Iudæis antea fuisse, Augustinus testis est. Lactantius de simulachris, idolisq; gentium, differit, qui de imaginibus, quid senserit ex hoc ipsius carmine: *Flecte genu, lignumq; crucis venerabile adora, cognoscere potes.* Atq; eadem de Augustino ratio, vt iam liquet. Epiphaniij factum quod refers, Epiphaniij non est. Verba enim, quibus Historia illa continetur, Epiphaniij nequaquam sunt, sed ab Iconomacho quopiã Epistolæ adiuncta. Quod ex eo patet, quia post finem Epistolæ adiecta sunt, & D. Hieronymus in *Epist: ad Pammach:* totam ferè Epistolam Epiphaniij à se Latinam factam recitat: huius autem imaginis ne meminit quidem: & D. Gregorius affirmat, nullum vnquam Episcopum ante Serenum Imaginem Christi confregisse: deniq; stylus non conuenit cum reliqua Epistola. Hæc cum ita se habeant, iustissima est vniuersi Cleri querimonia, adeòq; verissima: tuam autem de Cleri nescio quo falso cultu iniustissimam, ex his quoq; partim iam apparet, ( in imaginum enim veneratione, nullam idololatriam esse iam ostendi) partim ex responsione ad reliqua quæ affers apparebit. Ad illud igitur quod ais, Clerum templa prophanare, quod Antichristum, Romanum, videlicet Pontificem, [ qui vera, *inquis*, species, abominationis & desolationis, est à Propheta prædicta, ] in iisdem considerare sinat, respondeo fuisse id tibi argumentis ostendendum. Mihi interim promptum est, euincere

euincere nihil eorum, quæ affirmas, Romano Pontifici conuenire. Abominatio enim illa desolationis Romano Pontifici tribui nequit: nec vllus vnquam interpres præter fanaticos & deliros huius temporis hæreticos, eam de Romano Pontifice explanauit. Hieronymus abominationem desolationis existimat intelligendam, vel de imagine Cæsaris, quam Pilatus posuit in templo, aut de Adriani equestri statua, quæ in ipso sancto sanctorum vsque ad illius tempora permansit. Chrysostomus, abominationem statuam putat eius, qui Urbem Hierosolymam expugnauit. Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Iulius African. Eusebius, Augustinus, totum eum locum, vti & illum Matthæi 24. *Cum ergo videritis abominationem desolationis, &c.* de euersione Hierosolymæ interpretantur. Et germanam hanc esse huius loci expositionem, ex Euangelio euidenter colligitur. Quod enim apud Matthæum 24. Christus ait: *Cum videritis abominationem desolationis, &c. tunc qui in Iudea sunt, fugiant ad montes.* Lucas sic exposuit: *Cum videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote, quia appropinquauit desolatio eius: tunc qui in Iudea sunt, fugiant ad montes.* Si tamen de Antichristo & extremis temporibus accipere locum velis, ne tu quidem quidquam contra Romanum Pontificem effeceris. Nam tum deficiet hostia & sacrificium, quod è medio tollet Antichristus, & sedebit in templo Dei,

Daniel: 9.

In Danieli  
& cap: 21.  
Matth.In Matthæi  
24.

Matth: 24.

Luc: 21.

tanquam Deus adorandus. Papa autem nec sacrificium sustulit, vt ipsi cernitis, nec se Deum profiteatur, quinimò Deum religiosè veneratur, adeoque Sanctos eius demissè colit. Imò quoniam ita vis, ex hoc ipso colligo, Romanum Pontificem Antichristum dici non posse, cùm eorum nihil præstiterit, quæ hoc loco facturus Antichristus dicitur. Sed hoc totum argumentum eruditissimè Sanderus, Bellarminus, Thyraeus, tractârunt: & Romanum Pontificem, Christi Vicarium; vos autem tanquam hæreticos Antichristos esse demonstrârunt. Iam verò ad alterum illud desolationis in Ecclesia Romana argumentum, quo affirmas Catholicos, sub specie veritatis Canonem Sacræ Scripturæ abieciisse, & novos Canones, seu traditiones statuuisse; respõdeo, te falsum crimen Catholicis vniuersis imponere. Omnes enim Scripturæ Canonem venerantur, adeoque integrum prorsus recipiunt; Canones autem si quos novos condunt, ij sunt eiusmodi, vt Scripturæ Canoni non aduersentur. Traditiones autem Apostolicas, & à maioribus acceptas, retinendas esse, supra demonstraui. Imò quoniam hanc nobis de Scripturæ Canone intendis litem, affirmo vos Canonem violasse, adeoq; eius partem bonam abieciisse, quod euidenter Socolouius, & Laur. Arturus Faunteus, vt alios taceam, ostenderunt. Vobis igitur desolatio, non Clero Poloniae, cæterisq; Catholicis est tribuenda.

Lib: 2. de  
visib: Mo-  
nach.  
Thyraeus  
in Thefib:  
de Anti-  
christo.  
Bellarm:  
tom: 1.

Cap: 2.

Li: de Eccl.  
Lib: 2. de  
Eccles:  
contra Sa-  
deelem.

## CAPVT XIV.

*Postremam Ordinis Ecclesiastici querimoniam, de grauissimis iniurijs, quas patitur, & realibus, & personalibus, iustissimam esse: eundem minimè causa inaudita Evangelicos, quos vocant, hereticos iudicasse, nec in eorundem corpora seuire, bellicusè civilibus occasionem dare.*

**I**Am ad extremam Cleri querimoniam ventum, est, calumniator, quæ de eo instituitur, quòd Sacerdotes sine lege, sine iustitia, sine iudice, tam reales, quàm personales ( verba querimoniæ sunt ) iniurias patiantur, cædantur, interimantur impunè, ac denique quibusuis obscurissimis hominibus, etiam Iudæis, qui suos habent patronos ac defensores, postponantur. Quæ sanè grauis est, fateor, verissima tamen, vt iam ex iurisdictione Ecclesiastici Ordinis iniquissimè imminuta, & Decimis per summam iniuriam eidem ereptis liquet. Vt in præsentia mihi laborandum non sit, vt huius querimoniæ æquitatem multis ostendam: maximè quòd tu ipse omnia, de quibus queruntur Clerici, agnoscas & confitearis. Illud solùm excipis, Ecclesiasticos Iudice non carere, imò & ipsos pro Tribunali pari cum secularibus numero causas cognoscere: [ Sacerdotes autem, si qui feriantur aut perimantur, eos esse, qui meretricijs dediti amoribus, alienas ædes inuisunt, vel in tabernis cum rusticis perportare solent. ] Quæ ego sanè

omninò non inficior, illud tamen contendo, Cleri querimoniã esse iustissimam & æquissimam. Nam quamuis pro Tribunali ipsi sedeant, tamen ita sedent, ac si Iudices non essent, quandoquidem ipsorum Decreta, quamuis & legibus Regni, & rectæ rationi consentanea, vel contemnuntur, vel negliguntur; imò ne quod decreuerint fiat, omni studio & diligentia ab Ordine Seculari curatur. Sacerdotes autem etiam si eorum, quæ ais, criminum rei interdum sint, nec tamen ita malè tractari à priuatis hominibus, pro ipsorum libidine deberent, nec ij, qui iisdem vel verbera, vel necem intulissent; impuniti inultiq; remanere. De Sacerdotibus enim, & omnibus in vniuersum Clericis, Episcopos solos, eorumq; ministros, poenas sumere, sanctissimæ & vetustissimæ Regni leges voluere; ipsos autem qui Clericos iniuria læsissent, Episcopis esse tradēdos, ab iisdemq; iudicandos, statuta decernunt. Sed præter Sacerdotes, quos, odio impulsus, narras, ob sua flagitia verberari & occidi; alii inueniuntur, qui à Nobilibus maximè hæreticis, & culpæ alioqui omnis expertes, grauissima quæq; perpetiuntur. Quos tamen, ea est temporum infelicitas, nec secularis Iudex condemnat, quoniam ipsius id muneris non est, nec Ecclesiasticus iudicat, quoniam etiam citati legitime & vocati, causam dicere pertinaciter & peruicaciter recusant. Vnde illud euenit, vt & Ordo Ecclesiasticus, in tanta hominum perfidia & iniquitate, gra-

Iarossaus  
Gnesnen:  
Archiepif:  
fol: 54. &  
Bodzanta  
Crac: f. 57  
Sigismun:  
Crac. 1543.

te, grauissimas in dies iniurias accipiat; & secularis, qui eandem facit, sine poena & periculo securus uiuat, ipsaq; impunitate fiat efferatior & immanior. Atqui hic finis esse poterat, & pestilentis libelli tui, & refutationis meæ, nisi tibi visum fuisset, & Cleri querelas, & tuas, ad eandem responsiones Epilogi loco breuiter connumeratas iterare, & nouam querimoniam instituere: [quod Clerus causa inaudita, vos tanquam lupos & hæreticos condemnet, Concilij Tridentini fretus auctoritate; (quod legitimum, *inquis*, esse non potuit, cum nec admissi, nec auditi nostrarum partium Theologi sint, & Romanus Pontifex, qui reus potissimum peragebatur, eidem præfuerit;) quod forum illud exoptet, in quo non conscientias modò, sed corpora ipsa affligat immaniter; quod deniq; illam percipiat pacem, qua foedera ante exortas de religione controuersias inita rumpantur, & bella ciuilia excitentur in Polonia, ut in Germania, Gallia, Anglia, accidit; dum Ordo Ecclesiasticus pro suo stabiliendo principatu impensius laborabat.] Quia autem ita lamentaris, & tuorum conditionem deploras, danda à me opera est, ut tibi faciam satis. Lupos igitur vos vocant Ecclesiastici, & inaudita causa condemnant? Vide ne audita sit, calumniator, causa: sanè audita est, & iudicata iam olim, cum veteres illi & detestabiles hæretici, siue in Synodis, siue in scholis, suas opiniones, & à communi fidelium sensu alienas explicuerunt, eademque ut hæreses, sunt reiectæ, & refutatae. Eorum enim & vos doctrinam tuemini, & errores mordicus retinetis, ut Capite primo demon-

strau.

Thesi 27.  
anni 1545.  
In lib: de  
cœna.

Bullingeri  
in lib: de  
cœlo; &  
dextra.

Socolouius  
in Cen-  
sura.

strauit. Sed etiam si hoc ita non esset, quinam in vos sunt Ecclesiastici iniuriosi? an non vos ipsi hæretici nomine inuicem compellatis? An non Heshusius, Lutherus parens vester, alijq; , & Zuinglianos, & omnes Sacramentarios hæreticos nuncupant? Quã appellationem omnes Lutherani in confessione ab vniuersis recepta, suo comprobauere suffragio. Nonnè & Calviniani Lutheranos ijsdem, ornant titulis, cùm in Admonitione ad librum Concordiæ, tum alibi frequentissimè. Nonnè etiam vtriq; Anabaptistas & Trinitarios hæreticorum loco habent? Quæ omnia adeò certa sunt, & explorata, vt etiam nuper Dantiscani & Regiomontani, Calvinistas suos vt hæreticos eiecerint. Denique præter hæc omnia Concilium Tridentinum Clerus habet, cuius Decreto nixus ( vtcunq; refrageris ) vos hæreticorum loco habet. Et quidem iure optimo. Si enim Arium, Macedonum, Nestorium, Eutychem, Pelagium, Donatum, cæteros in hæreticorum numero reponimus, quoniam Synodi, Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, Chalcedonensis, Mileuitana, Gangrensis, censuere, & Ecclesia illius temporis vniuersa decreuit; quidni & vos in hæreticis numeremus, quoniam vt Synodos Prouinciales taceam, vos vniuersos, Sacrum Tridenti habitum Concilium damnauit, & Ecclesia vniuersa huius tempestatis, tam Græca, quàm Latina, Decretum suo suffragio comprobauit. Quod autem tu  
Concili-



Concilium Tridentinum calumniatis, ais, Theologos vestros ne ad Synodum quidem admissos, nec auditos: mendacium est. Saluus enim conductus, ut loqui solemus, omnibus datus est, qui Concilium adire, & causam suam agere voluere. Adfuerit quoque Mauritij Electoris Theologi, & Vittembergensis Ducis, nominatim Brentius, alijq; sed rogati ut disputationem inirent cum Catholicis, recularunt. Sed etiam absentes causam egere, alij Theologi vestri & auditi sunt, adeoque ipsis responsio data, ac ad extremum hæretici appellatio iisdem pro meritis attributa. Quod verò adiungis Concilium minus legitimum fuisse, quod eidem Romanus Pontifex, qui reus peragebatur, præfuerit: ineptum est. Quo enim iure vos Pontificem reum peragitis? Quo nomine? Cuius criminis? An eius quod fidem maiorum defenderit? Aliud nullum proferre potestis. Deinde, cur Pontifex in Concilio non præsideat, cum M. D. annos totos id obtinuerit? Et quamuis à vobis accusetur: priuari tamen non potest iure suo, donec legitimo iudicio conuincetur Summus Pontifex non existere. Accedit etiam, quod si hæc exceptio locum habere debeat, nec Arius legitimè condemnatus fuit, in Nicæna Synodo: ij enim præfuerit eidem, qui & ipsi rei, Arii opinionem, erant, & in summo errore, & rerum maximarum ignoratione versabantur. Iniquissimè etiam & Nestorius à Cyrillo, & à Leone Dioscorus,

R

hæreti-

Bellarmin :  
Tom : 1.  
& Arturus  
Faunt : in  
Affer : de  
Principatu  
Petri.

hæretici iudicati sunt, in Ephesina & Chalcedonen-  
 si Synodo, cùm inter ipsos, tota quæ tum agitaba-  
 tur controuersia, versaretur. Nulli deniq; vnquam  
 hæretici habebuntur, si hanc tuam admittamus ex-  
 ceptionem. Quis enim vnquam hæreticus, Catho-  
 licos Iudices reos esse non dixit? Sed quod caput  
 est, non solus in Concilio Iudex est Pontifex Ro-  
 manus, sed & cæteri, qui adsunt, Episcopi; quorum  
 tanta est potestas & auctoritas, vt si eundem hære-  
 sis conuincerent, non iudicare modò, sed & conde-  
 mnare, adeòque vel inuitum Pontificatu deijcere  
 possent. Sed ne de Concilij Tridentini auctoritate  
 ambigas, reuoca tibi in mentem id ipsum ab Augu-  
 sto, Henrico atque Stephano susceptum, & ab Or-  
 dine Ecclesiastico vniuerso non comprobatum  
 modò, sed & promulgatum. Quod sanè pro Con-  
 cilio aduersus tuas calumnias, satis est in Polonia fir-  
 mum. Iam verò quòd Clerum accusas ita animo  
 affectum esse, vt in corpora vestra sæuire, pero-  
 pter, & pacem eam percupiat quæ bella excitet: ini-  
 quissimè facis. Nullam enim vim vobis inferunt,  
 etiam si & Ecclesiæ sanctiones, & Regni iura, aliud  
 ab ipsis postulant; & vos malunt vt fratres & pro-  
 pinquos, ab errore ad veritatis lucem reuocare,  
 quàm quicquam in vos grauius decernere. Bellum  
 autem, tantum abest vt percupiant, vt in Concioni-  
 bus, in compitis, in Senatu, pacem, vbiq; suadeant;  
 & quidem, quantū licet, in tam infinita licentia, ali-  
 quos perfidia hominū distractos, rursus in pristinam  
 concor-


concordiã reducere pro virili elaborant. Nec verum est, vt tu opinaris, bella ciuilia in Gallia, Anglia, Germania, & Flandria, à Clero principiũ habuisse. Hugonoti enim in Gallia, Anglia, & Flandria; in Germania Lutherus & Muntzerus, & olim Husitæ in Boëmia; vt ex omnibus Historijs liquet, bellinon- instrumenta, sed & auctores extitere.

Atq; hæc, calumniator, ad responsionem tuã : qua quid effeceris, iam ipse, opinor, vides : Mea quidem sententia, hoc solùm tã intēperata & insolenti scriptione affecutus es, vt maleuolentiæ tuæ in Ecclesiast : Ordinē testimonium extet, ad nominis tui ignominiã sempiternã, meæ autē in eundē beneuolentiæ monumentũ perpetuũ. Quid autem præterea profecerim, aliorum sit iudicium. Illud interim sine arrogantia, ac ostentationis omnis suspicione dicere, nisi me omnia fallunt, potero: me, & Cleri iurisdictionem ita asseruisse, ac ius Decimarũ ita defendisse, vt quiuis faciliẽ intelligat se, nec illã absq; scelere imminuere, nec has nisi per summã iniquitatem retinere posse: Ecclesiastici deniq; Ordinis querimoniam vniuersam ita tractauisse, vt iustissimã æquisimãq; esse, satis appareat. Vtinã, quod opto, speroq; , præstiterim, meusq; hic qualiscunq; labor, ad Dei certè gloriã & Ecclesiæ vtilitatem susceptus, fructus vberes diuturnosq; ferat.

L A V S D E O.

Algebra

The first part of the book is devoted to the theory of numbers, and the second part to the theory of algebra. The author begins with a discussion of the properties of numbers, and then proceeds to the theory of equations. He then discusses the theory of logarithms, and the theory of the binomial theorem. The book is written in a clear and concise style, and is suitable for students of algebra.



*Illustriss: ac Reuerendiss: Domini,*

**D. ALBERTI  
BOLOGNETI,**

**Cardinalis & Episcopi Massanen: S. Sedis  
Apostolicæ Legati,**

*In Comitij Regni, ad Sereniss: Polonia Regem,  
& omnes Ordines,*

**O R A T I O;**

*Habita Warsavia, die XII. Februarij.*

*M. D. LXXX. V.*



*Non est sanè quod mirum cuiquam videatur, me,  
qui & initio ad vniuersam hanc Rempubl: missus  
fuerim, & per omne legationis meæ tempus, non  
tuam tantum Serenissime Rex, quam crebris ser-  
monibus vsurpare soleo; sed etiam omnium Or-  
dinum, beneuolentiam erga me propemodum  
incredibilem expertus sim, oblatam mihi Generalis huius Con-  
uentus occasionem, prætermittere noluisse, quin ante meum è  
Polonia discessum omnibus valedicerem, & cum singillatim v-  
numquemq; ( id quod maximè voluisssem ) exosculari atq; am-  
plecti non valeam, vniuersos saltem ea qua possẽ ratione salu-  
tarem. Verùm quoniam rerum omnium nouitas maximè mo-  
uere solet, adhuc plerique, sat scio, mirabuntur quid sit, quòd  
cùm ego Maiestatem tuam antehac semper, vel ipso Comitio-*

frum tempore, solus olam conuenerim, nunc præsentibus Regni omnibus Ordinibus, eandem compellare maluerim. Quare vt omnem planè ex omnium animis suspensionem, quam primùm eximam, dicam apertè, præter eam, quam proximè exposui, alias quoq; consilij mei rationes fuisse, quæ me non inuitauerint solum, sed propemodum etiam coëgerint, vt præter meam consuetudinem ex hoc loco in præsentia verba facerem.

Primò enim ad officium meum pertinere arbitratus sum, vt dolorem illum, quem Summus Pontifex Gregorius tanquam & communis Pater, & præcipuus Poloni nominis amator, ex hac ipsa, quæ fama pridem percrebuerat, Rerumpubl: perturbatione sanè grauissimum sensit, palam omnibus testarer, simulque vos omnes, cum mea spontè, tum etiam Sanctitatis suæ nomine, paternè hortarer, vt pacem atque concordiam, qua nihil ferè preciosius, aut optabilius, in vita homini datum est, oblatam studiosè recipere, receptam constantissimè tueri, & conseruare velit: ita vt ego à vobis discedens, verè dicere possim: Pacem Christi relinquo vobis, Christi pacem do vobis, quam, & Dominus ipse vobis commendat: *Pacem & veritatem diligite*; ait Dominus Omnipotens. Atqui verò quid causæ est, cur non in eam ipsam omni studio incumbatis, & pro tot diuinitus susceptis bonis, Sūmo illi benefactori Deo, vos non ingratos exhibeatis? Habetis Regem ( vt alia tam multa, quæ tamen minora esse fateor, silentio præteream ) qualem vix anteaactis seculis vidit vnquam Polonia. Quod ipsum vosmetipsi & agnoscitis, & fatemini, & maxime eo nomine Diuinæ clementiæ gratias agere soletis. Contra verò dicat Maiestas tua, ( neminem enim alium hac in re testem appellare libet ) quænam & qualia de Polonis, quibus voluit te Deus omninò præesse, ipsemet mihi sæpissimè narraueris; quibus laudibus, dum de Polonia nobilitate ageremus, tibi in præteritis bellis planè perspectâ, & animorum & corporum robur, & laborum tolerantiam, & morum probitatem, modestiam, continentiam, æquanimitem, atque erga suos Præfectos obedientiam, extuleris; quos in re bellica progressus; quantam ( si modò occasiones non deessent ) Poloni nominis accessionem operari te dixeris. Quæ cum ego tam præclara hinc & inde testimonia, &

mutuæ

mutuæ voluntatis argumenta semper habuerim: non potero certe non summoperè mirari, atq; in communi mœstitia præcipuo quodam dolore angî, si de meis Polonis, optimeque de me meritis, vilo vnquam tempore vel absens ea audiero, quæ publicæ paci & tranquillitati non vsquequaque respondeant.

Sanè verò pacis ipsius (vt paulatim, & quasi per gradus ad illud pergam, quod mihi præcipuè propositum est) pacis inquam ipsius, & comparandæ & seruandæ, certissimam rationem docer nos Diuina sapientia, quæ nobis non obscure insinuat, Iustitiam & pacem, ita mutuò sese complecti, vt hæc ab illa disiungi nequeat; & vbi à iustitiæ semita declinetur, ibi firma, stabilisq; pax reperiri minimè possit. *Iustitia (inquit ille) & pax, osculatae sunt.* Sola enim iustitia pacem Rebuspubl: pollicetur, sola Regni celestis quasi speciem quandam terris ostendit. Iustitiæ solius amore, vel primo ipso in mundi exordio, supremam Regibus potestatem populi detulerunt. Iustitia deniq; sola est, quæ vbi deesset, Tribunalia ipsa, & subsellia Iudicum, nihil essent aliud, quàm infanda latrocinia, omniumq; maximè detestabilia; quibus optimi quique & miserrimi homines fide publica decepti, crudelissimè spoliarentur. O salutarem igitur! ô sanctissimam iustitiam! ô rerum omnium, maximè cœtibus hominū necessariam! quam qui è Republ: tollunt, solem è mundo tollere videntur. Verenè dixero, te Polonis cordi esse, an verò potiùs è Polonia prorsus exulare? Etenim si Serenissimum Regem intuear, ac si etiam singulos ipsos, insignioresq; præsertim, Polonos spectem, non potero non inter alias quàm plurimas etiam iustitiæ laude Poloniæ Regnum condecorare. Verùm si ad ea animum referam, quæ vt plerique affirmant ex præsentî rerum statu, corruptaque Reipubl: forma proficiscuntur: liberè fateri debebo, multas quotidie à iustitia fieri quasi secessiones; & eas quidem eiusmodi, quæ & totam publicæ tranquillitatis rationem perturbent; & antiquâ Polonorum gloriâ apud exterâs etiam Nationes non parum imminuant; & (quod omnium maximum est) iustam Dei iram, cuius iam non obscurâ cernimus argumenta, contra nobilissimū hoc Regnum, magis magisq; in dies prouocare valeant. Quibus igitur potissimùm piaculis iratum præpotentis Dei Numen placare, ve-

care, veramque pacem impetrare poteritis? Sacrificâte sacrifici-  
um iustitiæ, & sperate in Domino. Frustra enim speratur pax, ni-  
si iniustitiæ labes omnis eluatur, & nisi causa morbi cesserit venis,  
frustra morbi finis expectatur. Iustitiæ cultum, pax: iustitiam  
speretam, dissidia consequuntur. A suis principijs vt mala sic bo-  
na omnia pendent, quare aut hæc cum illis habenda, aut illa cum  
his amittenda. Ecce meam vobis, quamuis obiter, hac de re sen-  
tentiam liberè & paucis exposui. Non aliam, atque dixi, turba-  
rum causam, non aliud turbarum remedium esse arbitror: sed  
vereor, hei mihi, maximè vereor, ne dum sanari vulnus à Medi-  
co petimus, vulneris fomenta nosmetipsi religemus; & dum dis-  
sidiorum finem à Domino precamur, ipsimet dissidijs materiem  
assiduè suggeramus.

Porro autem, ne illa confectæ, quæ meam, Principisq; mei  
curam minus attingunt (quanquam nihil quod ad Christi pa-  
cem quacunq; ratione pertineat, à Christi Vicario alienum videri  
potest) eò nunc demum veniens, quò mea iam dudum festi-  
nabat oratio. Quæro abs te S. Regia Maiestas, tum & à vobis Il-  
lustrissimi Senatoris, cæteri que Viri Nobilissimi, quisnam mi-  
serrimo huic Poloniæ Clero iniuriarum, vexationum, calami-  
tatum finis vnquam futurus sit? Prælatorum ecce nutat authori-  
tas: iurisdicctio impunè spernitur: Ecclesiarum bona inuasoribus  
obnoxiasunt: polluuntur templa, ornamentisq; suis spoliantur:  
Sacerdotibus Decimæ subtrahuntur: Dei cultus deseritur: Eccle-  
siasticis viris forum nullum, nullus ad iustitiam aditus patet.  
Quæ si ego singula pro cuiusque rei gravitate conqueri velim,  
tempus sanè mihi potius, quàm oratio desit. Quocirca ex tam-  
multis, quæ ab antiqua pietate ad omne iustitiæ genus deflexe-  
runt, vnum tantum paucis persequar, idque non exprobrandi,  
aut accusandi gratia (quod ipsum à meis moribus, mea que ve-  
recundia alienissimum semper fuit) sed cum eius rei remedium  
expeditissimum sit, omni que rationi consentaneum: spero vos  
hodie illud non grauatè amplexuros, & iam tandem sublata  
procrastinatione, demptaque omni morâ, publicis malis meden-  
di exordium, ab hoc ipso potissimum esse capturos. Quotus  
quisque est, qui si nunc interrogetur, quo iure, age mitto quo iu-  
re, sed



re, sed qua saltem iuris specie, quauè æquitatis vmbra, aut velo  
exequutiones sententiarum pro Decimis, rite & legitimè prola-  
tarum, suspensæ fuerint, possit mihi ad hoc vel verbum vnum, ,  
si non verè, saltem probabiliter, aut non absurdè prorsus respon-  
dere? Quis est enim, quem prætereat, Decimas, quæ soluuntur  
Ecclesijs, quin potius illi ipsi naturæ conditori, rerumque omni-  
um datori Deo poscenti rependantur, Diuina voce primùm in-  
antiquæ legis promulgatione fuisse institutas, ab Eaangelio sub-  
inde receptas, Apostolicis sanctionibus, Pontificijsq; legibus to-  
ties repetitas, Romanorum Imperatorum, dum ij rerum potie-  
bantur, mox verò Christianorum omnium Regum autoritate,  
munitas, vsu ipso apud omnes ferè Regiones, quæ veram Chri-  
sti fidem profitentur, constabilitas: & ( quod momenti etiam  
plurimum habere debet ) hoc ipso præsentî in Regno, ab eo vsq;  
tempore, quo Polonia reiecto Belial, Christum Dominum agno-  
uit, Clero, Ecclesijs, tanquam proprium & certum ipsarum patri-  
monium, firmissimo iure concessas, donatas, adiectas, omniumq;  
deinceps, qui vestræ huic Reipub: præfuerunt, priuilegijs quasi  
circumseptas, atque defensas? Quid dicam amplius? toto isto  
sexcentorum annorum spacio, absque vlla ferè controuersia Sa-  
cerdotibus persolutas? Quis hæc, inquam, ignorat? Et si hæc ita  
sunt, si meridianâ luce clariùs apparent, quo iure, quauè iniuria  
fit, vt antiqua pietas ad nostræ ætatis dedecus conuertatur? vt  
Decimæ Ecclesijs, Sacerdotibus alimenta, altari ornatus, Chri-  
sto ipsi cultus, per summam iniustitiam atq; impietatem, denege-  
tur? Non certè argumentis opus est, vt huius iniuriæ grauitas o-  
stendatur, quæ non Theologis, non iuris peritis, non literatis  
tantum hominibus, sed planè omnibus perspicua est: Nam nec  
desunt viri Nobiles, & à literis, & à vera religione alieni, morali  
tamen & politica quadam probitate insignes, qui cùm re ipsa  
tantæ iniustitiæ dedecus à se procul amoueant ( Decimas enim,  
Catholicis Ecclesijs sponte persoluunt ) tum verò etiam verbis  
grauissimis, & Catholico homine dignissimis huius facti indi-  
gnitatem conquerantur, priuatamque nonnullorum contumaci-  
am autoritate publica muniri, atque armari, minimè probent.  
Quod si idem & alij omnes sentirent, tandem cum iustitia simul

ſperaretur pax in Repub: poſſe coaleſcere fierent praua indire-  
cta, atque aſpera in vias planas, & poſt tam multas procellas, o-  
ptatæ ſalutis ſignis apparentibus, exultantium in Domino voces  
audirentur. Vox exultationis & ſalutis, in tabernaculis iuſto-  
rum. Iam verò ſi exitialis huius ſuſpenſionis decretum, ſine vlla  
cauſa factum eſt, quàm ſanctum & ratum id haberi debeat ſecum  
vnuſquiſq; reputet. Quod ſi vt id fieret, quemadmodum pleriq;  
autumant, iſtantis tunc Moſcouitici belli periculum in cauſa  
fuit, quis non videt eiufmodi remedia longè periculis ipſis eſſe  
grauiora? Peruagemur totam Maſouiam, & gentis illius, quæ  
verè à vobis deuicta eſt, templa omnia perluftremus. Certè ſi  
mihi vera uarrantur, ne vnum quidem præteriti belli iniuria de-  
ſertum eſſe reperiemus, cùm, tamen victores Poloni in mille  
templis, in mille, inquam, templis, ſi Deo placet, atque eò am-  
pliùs, miram vaſtitaſtem conſpiciant. Sed quid conſpiciant dico?  
& conſpiciant, & taceant, & tantum Diuini numinis dedecus, tu-  
arum ipſi tantummodo iniuriarum acerrimi vltiores, æquiſſimo  
animo ferant. O tempora! ô tempora! itané noſtræ ætatis ho-  
minum nonnullorum oculos caligare, vt quæ in Repub: omni-  
um maxima, & verè ſint, & apud maiores ſemper habita fuerunt,  
ea ipſi pro minimis, aut pro nihilo etiam ducant! Oculos habent,  
& non vident: aures habent, & non audiunt. Sed tu Domine,  
vſquequo? vſquequo? Exurge, quare obdormis Domine, excita  
potentiam tuam, apprehende arma & ſcutum. Ah, quid dico?  
non arma, non arma, non arma; ſed quidem ſcutum: neq; enim  
ſtatuas illis hoc peccatum, parce Domine, parce populo tuo; ſed  
tamen in auxilium noſtrum respice, & fac nobiſcum ſecundùm  
miſericordiam tuam, tempus faciendi, tempus faciendi, Domi-  
ne, diſſipauerunt legem tuam. Verùm hoc vlteriùs non vrgeo,  
mitto ſuſpenſionis rationes quærere: tametſi & miſerrimum &  
indigniſſimum eſt, quod abſq; vlla ratione, quod contra æquum  
& bonum, quod præter Reipubl: ſtilum, quod vniuerſo Ordine  
Eccleſiaſtico reclamante factum ſit; id non modò antiquiſſimæ  
huius Regni conſuetudini, ſed & Diuinis & humanis legibus o-  
mnibus anteponi. His, inquam, in præſentia, (quando ita neces-  
ſe eſt) ſilentio prætermiſſis, vnum hoc vobis dico, ſuſpenſionem  
iſtam,

istam, quæcunq; illa fuerit, esse finitam, & iam penitus expirasse: proindeque communi omnium Ordinum consensu, id ipsum declarari oportere, vt ne diutius Clero ad iusticiam aditus intercludatur. Vtque intelligant Capitaneidebere se in posterum, quemadmodum antea, sententijs in causam Decimarum latis, brachi vt vocant, secularis adminiculum præbere. Expirasse verò suspensionem, (cùm hoc ab illo pendeat, an ad proximum tantum conuentum facta fuerint) tum ratione apertissima, tum etiam ex verbis ipsis Decreti plenissimè ostenditur. Ratio illa est, nam si non proximum conuentum, sed incertum compositionis tempus suspensio complecteretur, ita vt non nisi facta compositione finire possit: Bone Deus, bone Deus, quænam hinc absurditas, seu quot potius monstrum consequeretur? Nimirum illud, quod cùm compositio ipsa illorum, qui Decimas debent, consensum & voluntatem necessariò requirat: possent ipsi dissentiendo efficere, ne vnquam finiretur suspensio; efficere ipsi possent, vt perpetuū esset hoc impedimentum, & ne Decimæ Ecclesijs in posterum amplius soluerentur; quo quid alienius, aut absurdius excogitari potest? aut quid erit vnquam absurdum, si hoc non est absurdissimum? Quid enim aliud esset, debitorum arbitrio committere rei debitæ solutionem, quàm peruicacis hominibus, & solutionē iustissimam detrectantibus, Decreto publico suffragari, (quod à vestrum omnium voluntate alienissimum fuisse certo scio) quid aliud esset, quàm rapinas fouere, quàm legibus imponere, & totius præsertim Polonici iuris auctoritatem (id quod directè fieri non potest) obliquè, & per summam fraudem, infringere ac labefactare?

Quantum verò ad Decreti verba attinet, neminem esse arbitror (nisi quis modò dissentire potius à seipso, quàm seipsum, audire velit) cui vel vnquam venerit in mentem, de ipsorum sensu dubitare; aut qui vero existimet, secus illam accipi posse, quàm vt ad proximum conuentum referantur, cùm expressim dicatur: Executionem verò ad alterum conuentum, siue ad alium conuentum suspendimus. Esto etiam ad alium conuentum, nec non de proximo potius intelligam, quàm de tertio, quarto, quinto, aut deinceps, vsq; in infinitum, cùm & vulgatissimæ & certissimæ iuris

ma iuris Regulæ sint, actum prima vice terminari: Infinitatem  
apprimè vitandam esse: Reijci omninò interpretationem illam  
oportere, ex qua vel minima absurditas consequatur, nedum hæc  
tanta, vt à debitorum arbitrio & voluntate, rei debitæ solutio  
pendeat. Quamuis autem vbi dictum est, ad alium conuentum,  
statim subiiciatur, in quo etiam fieri debet compositio; tamè hæc  
verba nostram interpretationem non modò non refellunt, sed  
maximè potiùs commendant. Ostendunt enim in illo ipso pro-  
ximo conuentu, ad quem suspenditur exequutio, fieri etiam cõ-  
positionem debuissè, quam qui tunc obnixè petebant, postea ne-  
glexerunt. Quod si ad compositionem quodocunq; futuram, &  
non ad certum conuentum fieret suspensio; nihil certè adijceret  
hæc ipsa clausula, in quo etiam debet fieri compositio, sicq; dictio  
etiam quam vulgò constat, alterius rei implicatiuam esse minimè  
quadraret. Ac multò etiam minùs quadrarent illa verba, quæ  
postremo pro coronide, seu quasi colophone adduntur: sine præ-  
iudicio vtriusq; partis. nemo enim existimabit vnquam absq;ue  
Cleri præiudicio fieri posse, vt suspensio solutionis Decimarum,  
pro debitorum arbitrio in infinitum protrahatur.

His rationibus victa Regia Maiestas (vinci enim rationibus,  
non minùs, quàm armis vincere, Inuictissimum Regem, decet)  
protestationem à Senatoribus Ecclesiasticis ea de re superioribus  
proximis Comitijis interpositam recepit, & in ea recipienda fini-  
tam suspensionem agnouit. Idq; se agnouisse Decreto restata  
est, Decretum propria subscriptione, sigilloq; publico commu-  
niuit. Atqui certè satis hoc esse deberet, vt ne ampliùs in posterù  
hæc nobis obiectaretur suspensio, suspensio: vtq; iam tandem Ca-  
pitanei officij sui memores, sententias pro Decimis latas, Regia  
(vt olim) autoritate exequerentur. Neque enim res erat eius-  
modi, (si modo summo iure agendum fuisset) quæ noua consti-  
tutione indigeret. Nam quid erat opus communi Ordinum cõ-  
sensu perimere suspensionem, quæ tempore ipso satis iam per-  
pta, atque extincta esset? Mitto, quòd sine Ordinum consensu fa-  
cta fuerit: sit verè, sit ritè, sit legitimè facta; ac certè cùm initio nõ  
longiorem, quàm ad proximum conuentum vitam acceperit, ef-  
ficitur necessariò, vt post conuentũ proximum illicò expirauerit.  
Idq;ue

Idq; ( vt dixi ) Regio testimonio declaratum esse, satis esse deberet. Quandoquidem nisi Regi concederetur eiusmodi Decreta, quin & publicas alias quascunq; leges, à dolosis istis interpretationibus calumnijsq; tueri atque defendere; ac si semper ad eam rem conuentus publicus esset expectandus; parum sanè fortunatarum uestrarum securitati prospicerent Patriæ Constitutiones, cum ubiq; non desint verborum contortores, intortores legum, bonorumq; extortores, quorum illæ fraudibus atque cauillis subuerterentur, fœdarentur, opprimerentur, antequam vllum à vobis subsidium expectare possent.

Verùm ( quicquid sit ) en vobis quantum Ecclesiastici homines causæ bonitate freti, de suo iure decesserint: vt enim tantò planius ostenderent uestram se beneuolentiam plurimi facere, pacemq; publicam, & mutuam animorum consensionem, proprijs etiam commodis anteponere: post exactum, suspensionis tempus, obtentumq; ea de re Serenissimi Regis testimonium, biennio, atque eo amplius tacuerunt, vt quod satis iam obtinuerant, quodq; etiam multis de causis suo sibi iure vindicare poterant, rursus à Regia Maiestate, ab vniuerso Senatu, totaq; ad eò Nobilitate, hoc tempore impetrarent; nimirum, vt ne Decimis, ne Patrimonijs Ecclesiarum, ne Sacerdotum alimentis, ne denique Diuinis obsequijs, funestæ huius suspensionis obex in posterum opponatur.

Hoc illud est, quod à vobis pro vniuerso Clero, Cleri ipsius principes qui inter vos sedent, vehementer etiam atque etiam petunt. Hoc & tenuioris fortunæ Sacerdotes, egentes, famelici, aris focusq; eiectioni, ac multis modis indignissimè oppressi, ingenti cum fletu & lachrymis poscunt, nec sua tantum, sed & Christi vulnera vobis ostendunt. Hoc ipsum, Ecclesiæ tam multæ desertæ atque vastatæ, vel solo ipso aspectu, satis enixè rogant. Idem hæ animæ prope innumerabiles, Christi ipsius sanguine redemptæ, summis precibus contendunt; vt potè, quæ frustra sibi tam diu panem quæsierint, nec qui frangeret eis, prorsus inuenerint; quoindeq; de salute sua se periclitari, atque sathanæ insidijs, Erebiq; faucibus, sese miserè obiectas esse, conqueruntur. Idem hoc ego, pro officio meo, proq; ea, quam apud vos,

quamvis indignissimè, personam gero, summo studio, & quan-  
ta possum animi contentione, posco, postulo, efflagito, pacif-  
que publicæ initium hinc fieri peto, & SS. D. N. hac ipsa de  
re mirificè sollicitum esse, planè vobis attestor atque confir-  
mo. Sed plura non addam, forsànque etiam nimis huc-  
usque multa. Neque enim vereri debemus, quin-  
cum ea de re quæ tam perspicuam rationem atque  
æquitatem habet, oratores ad vos accesseri-  
mus, pro vestra iusticia atque huma-  
nitate, exoratores disce-  
damus.





# M O W A

DVCHOWIENSTWA KORONNEGO,

Ná Seymie Wárszawskim,

DO KRÓLA I. M.

*Przez X. Wawrzyńca Goślickiego, Dziekana Płockiego, Kánoniká Krak. Sekretarzá Krolá I. M.*

**D**vchowienstwo Koronne / Słudzy Boży w Kościele iego święte tego / Bogomiodlcy W. R. M. przez Deputaty y Posłance swoje stáwili sie też tu o to / przed Máiestat W. R. M. ná tym Seymie / przyciągnięni recessami wiela Seymow / przyciągnięni obowiaściem y obietnica W. R. M. y stanow Koronnych / przyciągnięni wielką á nietęłkowską / ále Bogą wszechmogącego kausą y krzywda / ktora Kościół Boży w osobách ich / w prawiech / przywileiách / zwyczajách / w Jurisdycyey / á co naprzędnieyszego / co też w obelżeniu y w bmnieyszeniu czci y chwaly Bogą wszechmogącego / cierpi. Stáwinyšy sie tu / przynoszą przez mie brata swego / á namnieyszego sluge W. R. M. prosby swe do W. R. M. aby iuz kiedy tedy / á teraz wiec / gdy czas jest / miłosćwym y Krolewskim okiem ná nie weyzrzec raczył. Do kogož innego máia sie wćiekac w tym / iedno do tego / ktorému Pan Bog szd swoy / Sceptrum swoje / Regiment swoy podał. Per eum REX regnas, & Deus suum iudicium tibi Regi suo dedit. Prawem Koronnym / y prawem pospolitym personas, & des sacras, Iura, Priuilegia, dignitates, Ecclesiasticas, sub tutelam & patrocinium W. R. M. podał. Deus igitur tutelararis es. Przypominamy y przyznawamy to W. R. M. nie dla ozdoby iakiey / ácz y to / ále dla prawdy / abys W. R. M. wiedzial / czym iestes / y czym cie Pan Bog mieć chciał w Kościele swoim świętym. Krzywdy wšytkie / ktoreś kolwiek Kapłani / Słudzy Boży / od kogo cierpia / badz o chwale iego świętą / badz o osoby swoje: są krzywdy nie tak wielce ich / iakó Bogą wszechmo-

wſzechmogącego / y máieſtatu tego. Jeſli Crimen laſa Ciuilis Ma-  
ieſtatis, wſytkie crimina ná ſwiećie przechodzi: á coź crimen & in-  
iuria in Deum & Eccleſiam commiſſa dáleko wietſza ieſt. A ieſli  
wietſza / mamy te nádziecie o W. R. M. iſz zá krzywde tego / iáko miło-  
ſnił y pomázaniec Boży / bedzieſ ſie raczył wiać / tak wielce / ábo wies-  
cey niſzi zá krzywde ſwa / ábo zá krzywde naywietſzego miłoſniłá ſwe-  
go. A to ieſt naprzędnieyſze onus powinnoſci W. R. M. á takie /  
ktore ſie nietylko ad pietatem & officium, ále teź ad conſcientiam,  
Regalem przywiazáło. Słuſnie tedy próſby náſe do W. R. M.  
przynoſimy; ſłuſnie to / o co próſimy / otrzymác mamy; ſam Pan Bog /  
y práwo poſpolite wkázał nam / y wkázuie / ſedziego y obrońce kauſy ná-  
ſzey / Wáſe Krol. M. náſzego M. Pána. Rzeceſz nam W. Krol:  
M. Rogatiſne quæ ad pacem ſunt? Tak ieſt N. M. Krolu / dwu  
rzeczy od W. Kr: M. próſimy: Pacem & iuſtitiam: Gdy Polak do-  
bry od ſaſiáda pókoiu nie ma / mowi poſpolicie: Nie moze ſie w po-  
koiu chleba przed nim náieſć. Toć ſie nam dzieie náſ M. Krolu:  
Chleb Koſcielny / Chleb Dzieſiećinny / Chleb Boży / extra Eccleſiam  
eſt: áni go w Koſciele / áni ná cmyntarzu / áni przed Koſciolem wi-  
dáć. Próſimy W. R. M. iákoſmy w Pacierzu zwykli Pána Boga  
proſić: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Przywroć  
nam Pánie chleb / ktory mamy od Pána Boga / ktory teź od przodków  
náſzych / przodków W. R. M. ieſt nam nadány / panis nobis & bo-  
lus ex faucibus eripitur. Chryſtus w Ewángeliey ſ. mowi: Quis ex  
vobis homo eſt, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid por-  
rigit lapidem? Nam ſie to dzieie; miáſto chleba kámiem nam podáig /  
gdy chleb gwałtem biera: gdy nam wkázuia do Krolá / do Grodu / do  
Ziemſtwa / do Trybunału / do Kompozycyey; á ze wſytkiego nic.  
Altera manu panis nobis oſtenditur, altera lapis porrigitur:  
Krzywde ćierpimy / á nie mamy ſie ieý gdzie domowić. Wrotá nam  
wſedzie do ſpráwiedliwoſci záwarte: Sedemus in Cathedra, & ni-  
hil minus, quàm in Cathedra: Qui ſoluimus alios, ipſi ligati ſu-  
mus; qui ligamus alios, ipſi conſtringimur. Klucze mamy / á  
ſpizárnia puſta. Czyliſmy ſá inátkzey kondycyey niſzi Bráćia náſzy?  
Czyliſmy my ſámi / ſine lege, ſine Rege mamy bydź in Repub. czyli  
vulgus ignobile, & ſine mente pecus? Dla modeſtyey y ćierpliwó-  
ſci Káplánſkiey / w tym obelżeniu leżemy: Facti ſumus opprobrium  
fratri-



fratribus nostris, subsannatio & illusio ijs, qui sunt in circuitu nostro. Jakoby tu Boga nie bylo / a iesli iest / tedy gdzies za piecem siedzi wzgardzony / y ukrzywdzony. A czyiaz to krzywdca? Boza nas przod / potym wszytkiey Rzeczypospolitey / narodu zacnego Polskiego / zelzywosc y hanba: iakoby tu ani Pana / ani prawa / ani rzadu / ani ludzkości / ani obyczajow dobrych nie bylo: tak ieden z drugiego skody y niesprawiedliwosci kocha sie / y ona sie pastwi. Raczze to mniemanie y obelzenie z narodu naszego zniesc / a Kaplanom ch leb y sad Koscielny przywrocic. O Milosciwy Krolu / wrodziles sie mądrym / a co wiecey Chrzeszczanski Panem: factus es vnctus Dominus; nie pokladayze w Krolestwie Chrzeszczanskim / ktorego cie Pan Bóg wodzem y Krolem uczynil / tak nisko / y tak mizernie Kaplana swego. Niechayze nie bedzie w takim obelzeniu sluzą Boży / inzi biada bywa temu Krolestwu / vbi Sacerdos absque honore. Pewnać to / a niezomylna / nasz M. Krolu / iz wiecey metus Dei, nizeli metus Legum, moze in Repub. wiecey religione & pietate, nizeli legum seueritate, continentur homines in officio humanitatis: wiecey conscientia deterentur homines a male agendo, nizli scientia & sapientia. To naprawisz / gdy Kaplana przyprawie swym zostawisz / gdy wladza Duchowna / discipline Koscielna / Kaplanowi przywrocisz: ale gdy od Seymu do Seymu sprawiedliwosc y wladza Kaplanska odkladac bedzies / za wzgarda taka Kaplana sluzi Bzjego / przydzie wzgarda Boga milego; nastapi wzgarda Maiestatu twoiego: rozmnozy sie wzgarda Magistratu wszytkiego: a nawet ucziwosci iednego przeciw drugiemu / pro populo quieto, bedzie populus contradictionis. Czego aby w Panstwach swych nie doznawal / postzegac tego nasz iako Pan mądry / iako Krol y Zerman Chrzeszczanski: Zachowayze nam tedy W. Kro. M. sprawiedliwosc / spiritualium & temporalium. Uczyn granice Jurisdikcey Koscielney / wskrziesiedziwego o Dziecieciny / y o inke krzywdy Koscielne. By o iaka lastke y sprawiedliwosc prosil W. K. M. czlowiek obcy y nigdy nieznaiony / ex lege humanitatis & pietatis, nie odmawialbys mu tego W. K. M. abys iemu lastki / y rzeczy slusney / y pobożney / pokazac nie mial. My nie obcy / ale domowi / caro ex carne, os ex ossibus fratrum nostrorum. My sludzy Boży / sludzy W. K. M. nie mamy pietatem & clementiam W. K. M. w tym poznac? Nie my tylko / nie

my o to prosimy: ale o to prosí / y rádzi to zacne Kolo Senatorskie:  
 Przekładając gniew Boży / y wiele złego / co ztąd idzie. Przekładając  
 diffidencją ludzką / ktora z tey samey przyczyny weszła / y gora bierze  
 między ludźmi. Mialo ich y w Kole Rycerskim W. R. M. znayę  
 dzieś / ktorzyby tego obiema rekomá W. R. M. pomoc niechcieli:  
 wszystko masz W. R. M. iedno potrzeba poczác: Dimidium facti,  
 qui benè coepit, habet. Wielki pien z drogi zwalisz / ktory do dobrez  
 go w Rzeczypospolitey droge zawalil: Wždy iednak ci tego od W. R.  
 M. zebrza / ktorzy z Przywileiu Bozego tey Prerogatywy zájymają /  
 iż tym rzeczono: Qui vos audit, me audit. Wysluchajze nas W.  
 R. M. iesli chcesz aby też Pan Bog W. R. M. w potrzebách tego  
 wysluchác raczył; nie nas zebrzacych sluchác bedziesz / ale P. Bogá /  
 ktorego tá spráwa iest / ktory po W. R. M. tego chce / abys iemu  
 samemu / y Káplanom iego / powinność swą Krolewską oddal.  
 Pokoju y Spráwiedliwosci prosimy / abysmy zá láská W. R. M.  
 zá przywroceniem tego co nam nalezy / mogli z Prorokiem swietym  
 mówic: Chwała Bogu: Iustitia & Pax osculatae sunt. Ostatnie  
 przypomniemy: Chceszli W. R. M. aby W. R. M. prawdziwie /  
 y wprzeymie / quæ sunt Cæsaris Cæsari, oddawano; oddayze też  
 W. R. M. quæ sunt Dei Deo. Zá czym bedzie y Bog W. R. M.  
 y temu Krolestwu / dziedzictwu Chrystusowemu / krewia iego swieci  
 tą omytemu / błogostawil. Al gdy nam plác do tego dáć bez  
 dzieś raczył / abysmy specificcè doległosci naše pokazali /  
 bedziemy / y iestefny to W. R. M. pokaz  
 kazać gotowi.





PRO LIBERTATE ET  
IMMUNITATE ECCLESIAE,

*Quaedam Sententiæ.*

PSALMVS 82.

*Omnes principes eorum, qui dixerunt; hereditate possideamus sanctuarium Dei: Deus meus, pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes; ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos.*

Ioel: 3. In Tyrios & Babilonios.

*Citò reddam vicissitudinem: argentum enim & aurum meum tulistis.*

Stephanus Papa, apud Anacletum, Epist: 1. c. 2. Lucius cap: 6. & in Conc: Triburien: c. 7. & 12. q. 2.

*Sanè si quisquam Oeconomorum spiritu audaci, & mente sacrilega, Christi pecunias & Ecclesie aufert, fraudat & rapit, ut homicida in conspectu Iudicis deputabitur.*

*In Synodo Matisconen: II. can: 9. in Conc: Mileuitano, Can: 19. & Toletano III. Can: 13. Puniuntur grauissimè Clerici, qui causam Ecclesie ad Iudicem secularem deferunt.*

Sulpitius lib: 2. Sacræ historię, circa finem.

*Refert S. Martinum Maximo Imperatori dixisse: Nouum esse & inauditum nefas, ut causam Eccl: Iudex seculi iudicaret.*

Ambr: Epist: 32. & 33.

*Valentinianum Imp: Iuuenem adhuc reprehendit, quod Iu-  
stina*

*stina matris impulsu, sibi iudicium de fide usurpare, contra patris exemplum, conaretur.*

S. Gregorius, lib: 5. cap: 25. de Mauritio Imperatore loquens.

*Scimus, inquit, piissimos Dominos disciplinam diligere, ordinem seruare, Canones venerari, & se Sacerdotalibus negotijs non miscere.*

*Basilius Imperator in VIII. Synodo disertè asseruit, nec sibi, nec ullis laicis, licere negotia Sacerdotalia tractare.*

Gregorius Turonen: lib: 4. cap: 2.

*Clotarium Regem tertiam partem fructuum Ecclesiasticorum fisco suo annectere volentem, hoc dicto S. iniuriosi à proposito reuocatum refert: Si volueris, inquit, res Dei tollere, Deus Regnum tibi velociter auferet. Quia iniquum est, ut pauperum stipe, quos tuo debes alere horreo, tua horrea repleatur.*

Otto Frising: in Friderico Secundo.

*Refert Petrum de Vineis Friderici Imp: Secretarium, ab eodem excæcatum, postea tamen in gratiam receptum, consuluisse Imperatori, ut Ecclesiarum suppellectilem auream & argenteam, ad usum belli constaret. Quod cum fecisset Imperator, dixisse: Egregiè se vltum esse de Imperatore: quod qui prius hominum odia sibi comparauerat, nunc Deum sibi ex sacrilegio faceret inimicum.*

